[illegible]

[illegible]

[illegible]

1360

[illegible]

DISPVTATIO

INTER

RR. PP. DISCALCEATOS
Ordinis B. V. Mariæ de Monte
CARMELO,

Et IOANNEM STATORIVM Arianum.

Iterum

Lublini in Polonia, Anno D. 1620. 5. Iulij.

HABITA

A Magnifico Dño CHRISTOPHORO à LIPPA, Vice
Palatino Lublinensi, & Notario Castrensi Biecensi,
specialiter ad hoc rogato ac deputato, fidelissimè &
summo cum studio excepta ac descripta, Testimoniis-
que Illustrissimorum Iudicum Disputationis eiusdem,
aliorumque grauissimorum virorum qui interfuêre,
munita ac roborata.

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,
Anno Domini, 1621.

Facultas R^ndi Admodum Patris F. MATTHIÆ à S. Francisco Præpositi Generalis Carmelitarum Excalceatorum, Congregationis S. Eliæ.

F. MATTHIAS à S. Francisco, Præpositus Generalis Cōgregationis S. Eliæ, Fratrum Discalceatorum, Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, Disputationem hanc inter Religiosos nostros Cœnobij Lublinensis & Arianos habitam, probo vt Typis mandetur cum consensu aliorum Superiorum. Datum Genuæ 18, Martii. Anno Domini 1621.

Locus Sigilli.

F. Matthias à S. Maria
Præpositus Generalis.

APPROBATIO.

EGO SEBASTIANVS NVCERINVS Sacræ Theol. Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Crac: Ordinarius Concionator, ac librorum in Diœcesi Cracouiensi in lucem edendorum autoritate Illustrißimi & Reuerendiß. Dñi Martini Szyßkowski Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriensis, Censor: Disputationis Reuerendorũ Patrum Carmelitarum Discalceatorum Cœnobij Lublinensis, cum D. Ioanne Statorio Arianorum Ministro Lublini 5. Iulii, Anno 1620. habitæ, exemplar mihi oblatum cum Authographis & sigillatis Iudicum ac testium infra nominibus & cognominibus expressorum legi, eoq; lecto fidem facio Reuerendos Patres Carmelitas Discalceatos Cœnobii Lublineñ in suis Responsionibus veritatem fidei Catholicæ, integrè sequutos esse ac seruasse. Quocirca idem exemplar sic publica fide munitum, Typo vulgari rectè ac vtiliter posse censui. Craconiæ 30. Decemb: Anno 1620.

Sebastianus Nucerinus qui suprà
Manu propria.

IACOBVS NAYMANOWIC I. V. Doctor, Archidiaconus Pilcensis, Academiæ Cracouiensis Generalis RECTOR pro tunc, Disputationem infra scriptã, vidi, legi recognoui, vtiliterq; in laudem S. Ecclesiæ, & ad confusionem hæreticorum edi posse & debere, censeo.

Idem qui suprà manu propria.

In Stemma Illustriss. Domini D. Comitis de Teczyn, Palatini Cracouiensis.



Hic volucrum princeps, hic ascia duxq; ferarum
Cernitur, & summo lecta Corona iugo.
Aliger alta petit, secat ascia, bellua vincit
Aspera, sed cingit lecta Corona caput.
Mente polum penetras, geris ardua, corq; repurgas
TECINI, tandem cælica dona feres.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO IOANNI, COMITI IN TĘCZYN, PALATINO CRACOVIENSI:

Fratres Carmelitæ Diſcalceati, Conuentus Lublinenſis, Salutem in Domino.

IN lucem prodit aduerſariorũ Diuinitatis Chriſti debellatrix Diſputatio, non quidem futilis oſtẽtationis, ſed ſuæ defenſionis cauſâ è latebris euocata. Defenſorem ergo integritatis ſuæ requirit, cuius patrocinio à linguarum petulantia vexationumq; ſeu potiùs calumniarum tempeſtate defendi, ac immunis conſeruari queat. Nec in alterius ope tantũ ſpei quantum in tua Illuſtriſſime Comes reponit, ad quam & ſi audacius quàm fas ſit ſubmiſſe

tamen

tamen confugit, vbi tranquillo fruituram
se portu certo expectat. Nec enim tua sin-
gularis erga litterarum studia (quà illa per-
petuo colis) beneuolentia eam latere po-
tuit, sed nec ipsa generis tui claritas, fami-
liæ ac originis vetustas, nominis amplitu-
do, maiorum insuper tuorum opera Hero-
ica, quibus amplissimè adornaris ab eius
recordatione longè aberāt. Vt interim vir-
tutem tuarum præstantiam, quæ peren-
nem ac immortalem tibi pepererè memo-
riam taceamus, has enim recensere tua
singularis modestia minime nos permittit.
Quare iure optimo hanc Theologicam Di-
sputationem fidelissimo tuo patrocinio
committimus, ac in perpetuum obsequij,
monimentū gratitudinisq; signum ob mul
ta & præclara beneficia à te nec non à to-
ta tua Illma familia in ordinem nostrum col
lata dicamus & consecramus, quæ tamen
satiùs sit indicasse, cum illa enarrare pro
dignitate non valeamus. Illud solummodo

ſcire te ſufficiat, alios etiam huius prouinciæ noſtræ Conuentus præter hunc noſtrum Lublinenſem ob aliqua particularia beneficia, ſpeciales imò & perpetuos honores tibi velle deferre; ipſum certè Cœnobium Cracouienſe quod nunc recenter prope muros erigitur, in te iam oculos ſuos conuertit, plurimumq; ſibi gratulatur, eò quòd in tuo olim loco pedem fixerit, Eccleſiæq; ſuæ fundamenta in altum erexerit. Hoc ergo qualecunq; illud ſit obſeruantiæ erga te noſtræ indicium, vt ſereno (quo ſoles) vultu recipere, noſq; affectu pio fouere vt cæpiſti non dedigneris obnixe precamur. Interim à Deo Opt. Max. veram fœlicitatem, cæleſtiumq; donorum redundantiam tibi concedi poſtulamus.

Prefa-

Præfatio ad Lectorem.

In qua rationes huius editionis declarantur, & à calumnijs subsequuti tumultus vindicantur, & quid sentiendum sit de Relatione STATORIANA, præteritæ Disputationis breuiter aperitur.

SEcundò iam amice Lector infensissimis Orthodoxæ fidei nostræ hostibus fæliciter profligatis, secundò item veritas triumphauit: seriem conflictus iurata, integerrimæq; fidei persona excepit, quam tibi nunc ea submissione animi, ac eo quo par est veræ fidei propagandæ desiderio præsentamus; ipso tamen in limine de tribus te certiorem facere pernecessarium duximus. Et primo quidem, cur hæc ipsa disputationis relatio typis mandetur, quãtisue testimoniis fide dignissimis probata & stabilita remaneat: Secundò quid tibi de Synagogarum deuastatione Lublini ipsum disputationis actum subsecutâ sentiendum sit: Tertio tandem, qualenam iudiciũ viri prudentes de quadam mendosa, seu conficta primæ disputationis relatione, à Ioanne Statorio in lucẽ editâ ferre debeant: Quæ tria paucis perstringimus.

Disputationis igitur huius edendæ non alia profe-

ctò quam

ctò, quàm ipsa fraudulenta inimicorum fidei proteruia causa extitit; cum enim ipsi ignominiæ acceptæ labem ferre non valerent, eam consueto remedio deponere conati sunt. Sparserunt enim quibuscunque in locis potuerunt in materia fidei se victores extitisse, nos verò turpiter deuictos remansisse, insuper ad tegendam ignominiam nostram furorem populi excitasse, vt nimirum qui scientiâ & doctrinâ prostrati fueramus, armis ac potentiâ illos oppressos vinceremus: Nec mirum aduersarios fidei nostræ eo vsq; amentiæ deuenisse, vt etiam tam alienum á veritate rumorem disseminare minime erubuerint; qui enim linguis suis plus quàm venenatis ipsum filium Dei insectantur, summamque illam Diuinitatis Maiestatem ad ima detrahere non cessant, quanto magis contra ipsius membra virus suum diffundere debent: Inquit enim caput nostrum Ioan. 15. v. 20. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Prodeat ergo nunc ipsa Disputationis series in medium, ac sui causam agat, quæ quantæ sit authoritatis paucis à nobis accipe. Designati sunt pro ea Notarij duo, quorum vnus parti aduersariæ, alter nostræ adhæreret; & quidem pro parte nostra, persona fide dignissima, iurata, & per omnia probata deputata fuerat. In ipso itaque actu alter alteri assidebat, & an munus suum rectè fideliterq; obiret attentè inspiciebat, eaq; cum diligentia

non solum omnia dicta excipiebantur, verum etiam excepta, post singula statim argumenta, responsionesque singulas ab altero illorum palam legebantur, vt vtriq; parti quid propositum, quidue responsum fuerit innotesceret. Huc tandem accessit præclarum grauissimorum virorum testimonium, quo exactissima Notarij nostri diligentia ac fides confirmata remansit, prout ex subscriptionibus inferius ponendis tibi colligere licet. Quare non aliqua inuenta, aut à nobis conficta historia, sed illa omnino ipsa, omniq; ex parte syncera quæ successit veritas, ac ille ipse disputationis huius progressus tanta fide commendatus in publicum prodit, cuius certitudinem ac euidentiam, nemo nisi fortassis temerarius aliquis in controuersiam vocare potest. Et ideo summoperè admiranda est Ioannis Statorij temeritas, qui de præcedentis disputationis integritate, illiusq; recto progressu, & quidem similibus testimoniis approbato, similiq; fide in lucem edito dubitare ausus fuerat, imo neque hoc facto contentus remansit, grauiora aggressus est, nouum enim quoddam Carmelitæ inuentum, non vero illam ipsam quæ interuenerat disputationis seriem esse asseruit. Sed quid mirum talia ac tanta Hæreticos audere? cum hoc sit vnicum ipsorum refugium, vltimumq; ignominiæ remedium, calumniis videlicet honorem suum tueri. Constabit ergo vniuersis Christi

fidelibus, veritatem sacrosanctæ fidei nostræ sibi optime constitisse, nec quicquam damni perpessam fuisse; constabit item prauitatem Hæreticam turpiter deuictam, ac profligatam (quod vnicè intendebamus) remansisse quod & ipsi aduersarij recognoscere possunt, dummodo affectu Hæretico deposito veritatis iugo collum suum subdere velint. Fatemur quidem ipsum Statorium de nobis conquestum fuisse, quasi nos eum ad Logicalia deduxerimus, verùm cuius fuerat conquestus, illius & culpa, ipse enim relicto Theologico argumẽto in quo subsistere non valebat, seipsũ & nos ad Logicalia deduxit. Sanè si prætẽdissemus vim argumẽti effugere, ac in Logicalibus aduersarium detinere, occasio non deerat, cum ipsemet aduersarius primo suo sylogismo magnam ansam ad hoc nobis præbuerit, hunc videlicet in modum proposito argumento: Pater ille ex quo omnia, non est trinus in personis. Deus ille vnus est Pater ex quo omnia. Ergo Deus ille vnus non est trinus in Personis. In quo argumento, si ad Logicalia deuenire voluissemus, admisso antecedenti consequentiam negassemus cum medium in neutra propositione distribuat, vt patet in hac simili forma: Adam ex quo omnes non est multiplex in personis, sed homo est Adam ex quo omnes. Ergo homo non est multiplex in personis; verùm cum nos nihil aliud quàm veritati fidei consulere pertenderimus,

rimus, ideo illâ distinctione à nobis data contenti fui-
mus, quam ipse fere non valens nos ad Logicalia suo
argumento deduxit.

Sed dicent, qua igitur ex causa seditio postea erat
secuta, vel excitata? ad nos candide Lector non spe-
ctat, commotionis authores in iudicium vocare, vel
quouis aliomodo de ipsis conqueri, hoc vnum & certissi-
mum est, quod intimè te scire desideramus, & quod in-
genuè ipso Deo teste fatemur, nos ne leuem quidem ta-
li de re cogitationis motum sensisse. Acrior sanè (si di-
cere fas sit) primæ disputationis conclusio, vt ipsimet
aduersarij censent, fuerat, nec tamen aliquot turbati-
onis indicium comparuerat: quinimo nullâ ratione di-
sputationis certamen aggressi fuissemus, si hæc quæ sub-
secuta sunt euentura pertimuissemus, verùm securi sub
fide iudiciorum Regni, quæ maximæ authoritatis est,
in arena veritatis causâ decertaturi descendimus. Ne
igitur inimici fidei, (licet amici nobis propter Dñum)
aliquod damnum contra nostrum intentum perpessi fu-
issent, finito prosperè ipso disputationis actu, sex è no-
stris Religiosis, illos ad propria pacificè deduxerunt,
vnde nec quicquam spatio vnius ferè integre horæ à
Disputatione elapsæ secutum vel auditum fuerat. Ex-
orto postea (nobis minimè hac de re cogitantibus) tu-
multu, rem ad Illust. Dñum Marschalcum deferri per

 aliquos

aliquos mox curauimus, insuper aliquot alios è nostris ad ipsos deuastatores Synagogæ reprimendos celerrimè expediuimus, qui tanto conatu impetum retundere sũt aggressi, vt vnus ex eis fuerit vulneratus, omnesq; in summo discrimine versarentur. Quis ergo adeo mente captus erit? vt vel nostros vel ipsam disputationẽ tempestatis huius exortæ causam esse asserat? Nam si hæc sit causa, cur etiam prima disputatio non ad eundem terminum reducta est? cum tamen nihil simile acciderit, aut cur non statim finitâ disputatione, sed rebus omnibus prius in pace optimè compositis ad seditionem peruẽtum est? Quod si nos damnum hoc Hæreticorum perpendissemus, profectò nunquam per aliquos ex nostris illos saluos & incolumes domum perducere curassemus, neq; ad sedãdum populi furorem vllo modo: è Monasterio religiosos expediuissemus, quod tamen non sine sanguinis effusione, ac vitæ apertissimo discrimine libenti animo præstitimus. Deniq; ipsa seditio subsecuta quid aliud loquitur, quam hoc ipsum quod explicare intendimus? quandoquidem hæc non contra ipsos Arianos cum quibus disputationis certamen aggressi fueramus, verum prius contra Caluinistas ab hoc ipso certamine alienos, ac tandem ratione vicinitatis contra Arianos directa fuit, quæ omnia satis euidenter indicant, nec nos, nec ipsum certamen susceptum causam occasionemque vl-

que vllam exortem tempestatis fuisse. Quænam autem fuerit non nostri muneris est, in inquisitione ipsius im-morari, hoc solummodo apud omnes rerum iustos censo-res certum indubitatumq; esse debet, illa omnia quæ e-uenerunt, ad actum disputationis accidentaliter eue-nisse, ac proinde nulla ratione à disputationibus occa-sione huius euentus abhorrendum esse, maxime cum ex eis tanta Deo gloria, fidei illustratio, Ecclesiæ de-cus, fidelibus vtilitas promanet; non enim furore ac armis, neque aliquo simili insultu, sed argumentis, fidei-que ac veritatis telis aduersarij tales profligandi sunt, prout nos diuino nomine freti, secundo iam ipsos profli-gauimus, & in dies iterũ iterũq; profligare, ac errores e-orũ fũditus eradicare intẽdimus. Sed fortassis existima-bunt aduersarij se palmam obtenturos, si ipsi quoque di-sputationis huius seriem sub sui Notarij nomine ad li-bitum suum confectam, ne dicam confictam ediderint. Sed reuera nulla ratione id præstare possunt, dummodo recto veritatis tramite incedere velint, cum certum ha-beamus ipsos proprio ore conuictos esse, palam enim co-ram nostro Notario fassi sunt, scripta illorum Notarij deprodita fuisse, ac proinde seriem disputationis à no-stre esmendicasse: quare vel nostri Notarij fidem sequi cogentur, ac ideo ab ipsa confictarum rerum impressio-ne retardabuntur, vel vice Notarij propriæ memoriæ

fidentes (contradicente illis non solum Notarij nostri, verumetiam tot grauissimorum testium, è quorum numero vnus etiam est Caluinista, firmata ac stabilita fide) diuersum quid ab eo quod fuerat, confingere debebunt, quod certè factum arrogantiæ (Hæreticis aliâs familiarissimæ) specimen euidentissimum foret.

Publicauit aliquãdo IOANNES STATORIVS *seriem primæ Disputationis intẽdens causam suam aliquomodo subleuare, & ignominiam quam & ipse, & perfidia sua manifestissimè tunc conuicta, incurrerat, subterfugere. Edidit biẽnio post opus biennali labore satis indignum in quo duo agit: primò Disputationis seriem lõgè aliter ac Notarius noster, contra testatissimam veritatem, refert. Secundò calumnijs & blasphemijs errores suos fulcire; veritatemq́; Catholicam opprimere conatur. Vt autem ad manus nostras scriptum hoc peruenit, nullo negotio, breuiq́; temporis interuallo responsum parraueramus, quod & hucusq́; apud nos retinemus, & sine mora in lucem emittere cogitabamus, sed suasu grauissimorum prudentissimorumq́; virorum, quorum consilium minimè contemnendum erat, nos continuimus. Hi enim inane forè dicebant falsitatem Statorianæ relationis, in his quæ à Notarij nostri Iurati fide discrepabant (multa enim de verbo ad verbum ab ipso emendicauit Statorius) pluribus comprobare. Errores*

autem

autē peculiari scripto confutare esset actum agere, cum pridem ab alijs Sanctæ Ecclesiæ Doctoribus sufficientissimè fuerint refutati. Adhæc iidem viri grauissimi addebant, nullum fore in responsionibus finem, cum facillimum sit homini loquaci, id quod sibi placet, ad inanem gloriam captandam, effutire, & typis euulgare, cui facilius esset ore tenus etiam de repente respōdere, quā scriptis se occupare, vel typographias replere, præsertim Religiosis, qui Deo alijsq; grauissimis negotijs vacant. Consilium hoc ita cordi hæsit, vt firmiter statuerimus, huiusmodi responsionibus non occupari, parati ore tenus, & coram aduersarijs satisfacere, quandocunq; voluerint. Hoc enim, & satis est, & cum maiori vtilitate, & minori temporis iactura fit. Et idem protestamur nos facturos, si & nunc simili arrogantia spiritu afflati aduersarij, simile quippiam attentare præsumpserint. Cur enim erubescant Euangelium ore confiteri, & eo maximè cùm se ad illud propinquius cæteris accessisse glorientur? aut cur non satis illis sit coram disputare? verùm ne glorietur nimis Statorius illa sua relatione, & vt breuiter veritatis amatoribus constet, quale iudicium de illa ferre debeant, hæc pauca ex innumeris quæ dici possent excerpta, altè perpendant.

Et quidem quod attinet ad ipsius Disputationis processûs relationem, à Statorio editam, ex his nullo negotio, quā-

tio, quantæ ſit authoritatis, prudens quiſq; colligere poterit. Primò quod ſit relatio hæretici, in materia fidei, ac proinde ſuſpecti. Secundo, quod rei in cauſa propria iam conuicti, de ſeipſo loquentis, & cauſam propriam pro libito ſuo enarrantis. Tertio, quod vnus ipſe ſit, omnium, etiam ſuorum, teſtimonio & authoritate derelictus: quis enim illi credet, cui nec ipſi quidem eius patroni, vel ſequaces teſtimonium dare audent. Nec quēquam moueat Moſkorouiana Præfatio relationi illi præfixa, non enim auſus eſt ſenex ille diſcipulo ſuo fidem aliquam, authoritate ſua conciliare, ne per hoc odium aliquod contra ſe concitaret, ſed rem totam in Statorium refudit, dicens: Habes Chriſtiane & erudite Lector Diſputationem Lublini cum Carmelita, & ab vno è noſtris hominibus editam, ab eo quantum is memoria conſequi potuit conſcriptam. Hæc ſenex. & mirum eſt, cum præſens fuerit, & ſenes ex parte memoriæ commendari conſueuerint, cur non auſus fuerit teſtari, veram eſſe relationem, tanquam teſtis oculatus, ſed ad memoriam iunioris Statorij confugerit. Sed hoc ipſi viderint. Tū Candide Lector expende qualis ſit, quāq; firma memoria Statoriana, cuius fidei & authoritati, totius negotij pondus innititur, ipſe Statorius de ſe loquatur, pagina 14. cum referenda illi eſſent geſta, quæ ad aduentū Illuſtriſſ. Dni. Palatini Poſnaniēſis,

cōtigerunt linea 9. tale (suæ excellenti memoriæ diffidens) testimonium dat. Insuper autem quamuis memoriæ meæ tantũ non confidam, vt hoc loco omnia quæ acta sunt, referre quemadmodum opus est possim. Hæc ille; Cur ergo tantum memoriæ suæ in exarranda tota serie Disputationis confiderit, cum in parua parte ipsius adeo hæsitauerit. Quintò; ab hac ipsa memoria tam debili, historiam hanc non nisi biennio post editam, & Statorium varijs occupationibus distentum fuisse, & specialiter in primo huius biennij anno iter quoddam satis longum & diuturnum, grauium cætus sui negotiorum causa (vt Moskorouius in sua Præfatione testatur) suscepisse. Nam memoria debilis, longam historiam, inter distractiones negotiorum, & diuturnorum itinerum, per integrum biennium, magis obliuioni mãdare, quam retinere consueuit. Sexto perpendat veritatis amicus authoritatem relationis, cui infelix iste cōtradicere non est veritus, est enim personæ publicæ, & iuratæ, artiumq; ac Philosophiæ Baccalaurei, qui Notarij Aduocatialis officium in Regia Ciuitate Lublinẽsi per multos annos inculpatissimè exercuit, cui fidẽ conciliant integerrimi Disputationis huius electi Iudices, ac Illustrissimi Senatores, & quatuordecim alij maximæ authoritatis viri, ex quibus alii sunt Prælati Ecclesiastici grauissimi, alii Iudices Iudiciorum Tribunalis

Regni

Regni Deputati, alii denique equestris Ordinis Nobilissimi. Hi omnes relationē Notarii nostri manu propria confirmarunt, & sigillis suis munierunt, vt apparet in exemplari quod apud nos seruatur. Ex his inuicem collatis, euidentissime concluditur, citra temeritatis notā neminem posse Statorianam, Notarii nostri, relationi præferre, & in his in quibus tantæ authoritatis scripto contradicit, debilem Statorianam memoriam nullo pacto esse audiendam.

Jam ad contradictiones, blasphemias, & calumnias Statorianas descendamus, ex quibus, innumeræ cum sint, paucas exempli gratia breuiter prudenti Lectori exponendas, consultum duximus.

Prima Contradictio. Pagina 24. in fine de Patre qui præsidebat inquit: Et si præsidentis personam sibi assumere videatur cum ipse perpetuo, & nemo alius respondentis partes egerit. E contra pag. 46. circa medium defendentem alium, ingenuè agnoscit: & saltem aliquando ab ipso argumenta reassumpta fuisse. (quod quidem respondentis partes agere nemo dubitauerit) prædictis verbis fatetur.

Secunda Contradictio. Pagina 40. linea 2. Nondum constat: An Christus diuinitatem naturalem habeat. Missum facimus quod Apostolus ad Galatas 4. versu 8. tanquam gentiles reputat eos, qui iis qui natura non

tura non sunt Dii seruiunt. Unde meritò Statorius cũ
suis ad Gentilismum desciuisse videtur, & ipsum Sta-
torium sibi in hoc hæretico dicto non cohærere ostendi-
mus, ex verbis eius pag. 38. linea 12. vbi pertinaciter
contendit, Christum in sua hæresi, non adoptiuum sed
naturalem Filium Dei dici posse, eò quod solùm verum
Patrem habuerit, & opera Spiritus sancti sine virili se-
mine natus fuerit (quanquam si hoc modo naturalis fi-
liatio intelligenda esset, Adam quoque & quidem poti-
ori iure Filius Dei nuncupari posset.) Si igitur Stato-
ri vel eam ob causam Christum Filium Dei naturalem,
dicendum esse ais, quod is opera Spiritus sancti natus
sit, cur igitur alias Christum diuinitatẽ naturalem ha-
bere non constare dixisti? An non & pagina 97. ver-
sus finem, dicis præter signa & resurrectionem nihil
illustrius in Christo conspectum fuisse, ex quo non so-
lum per gratiam. sed etiam per naturam ipsum esse Fili-
um Dei colligi potuerit. Quæ acceptio filiationis natu-
ralis longè diuersa est à præcedenti, & cum ea pugnat
dum præter signa & resurrectionem nihil illustrius
ad filiationem naturalem colligendã concedat. Et con-
sequenter primæ acceptionis quam præmiserat obli-
tus, eam postea exclusit, in quo noua contradictio ap-
paret.

Tertia Contradictio fol. 128. Quamuis Filius minor

Patre dici possit, quatenus suam diuinitatem non ab æterno, nec per naturam habet, sed per gratiam, Pater vero maior Filio, quatenus natura, & à seipso atq; ab æterno Deus est. Hæc ille. E contra vero ibidem circa medium ait, non simpliciter asseuerandum esse Patrem habere maiorẽ Deitatem, Filium vero minorem. Quæ duo dicta secum contrariantur, secumq́; pugnãt, nam æternum à non æterno simpliciter differre plusquam manifestum est, ac proinde dicere Diuinitatem Patris esse ab æterno Filii vero non ab æterno, & tamen vnam non esse simpliciter maiorem, alia est manifesta contradictio.

Quarta Contradictio pag. 126. linea 12. Quamuis inquit nec aliter possit dici, Christum esse genitum quã per gratiam (contra manifestum testimonium scripturæ asserentis Christum esse vnigenitum Dei, quod certe verum non esset si non aliter genitus esset quam per gratiam, cum multi sint geniti per gratiam) Et nihilominus pag. 38. linea 12. non adoptiuum sed naturalem quoque Dei Filium dici posse fatetur. Manifestum est autem naturalem filium naturaliter & non per gratiam tantum debere esse genitum.

Quinta Contradictio pag. 109. linea 29. Quãuis inquit non simpliciter & absolutè vna & eadem sit Christi & Patris potentia (contra manifestissimum Christi testimoni-

testimonium dicentis: Ioan. 10. vers. 38. Ego & Pater vnum sumus, quomodo enim non vna absolutè potentia eorum qui vnum sunt, & cùm omnia quæcunque Pater facit hæc & Filius similiter faciat. Joan. 5. vers. 19.) Sed immemor sui Statorius pag. 125. lin. 17. eandē potestatem diuinam ponit in Patre & Filio, quamuis non solum pag. 109. paulo ante citata, verumetiam hoc loco aliquot ante lineis expresse Patri ab æterno & à natura. Filio vero non ab æterno nec à natura sed per gratiam diuinitatem concesserit. Quod si prudens Lector attente perpendere voluerit dictum Statorii pag. 30. non longè à fine sic inquientis: vera diuinitas est Christi potestas, & imperium diuinum, dum ponit eādem potestatem & diuersam diuinitatem, ab æterno scilicet & non ab æterno, in Patre & Filio, repugnātissimam contradictionem in eius dictis inueniet, hoc enim adstruere non est aliud, quam si dicatur, eadem est potentia & non eadem, cum diuinitas sit potentia, & diuinitas non sit eadem. Vtraq; propositio est Statorii. consequens est igitur quod potentia non sit eadem.

Sexta Contradictio pag 27. in fine negat Christo imperium absolutè independens & solum dependens concedit, Et pag. 108. in fine negat Christo naturalem potestatem datam, sed aliam rebus creatis communicabilem. (contra illud Marc. 28. vers. 18. Data est mihi o-

 mnis po-

mnis potestas in cælo & in terra) & pag. 90. circa medium: nullam perfectionē præter eam quæ rei creatæ cōpetat Christo adscribit, imo increatam illam in Christo (vt ipse blasphemo ore asserit) excogitatam planè effutit (contra illud in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & complura alia diuinarum litterarum testimonia, ex quibus perfectiones diuinas Christo inesse liquet.) Et nihilominus pagina. 87. in fine de Christo loquens ait. Qui ex dono Patris tantam super omnes potestatem consequutus est, quantam Pater à seipso habet. At quonam quæso modo tanta quanta Patris, cum non sit absolutè independens sicut Patris, cum non sit nisi talis qualis rei creatæ competit, qualis procul dubio non est Patris; Atq; vt clarius pateat, quā manifestè sibi in hoc contrarius sit Statorius, eandem cōtradictionem in vna eademq; pagina paucis lineis interiectis clarè ponit, nam pag. 109. lin: 32. asseruit Patrem communicasse potestatem talem, & tantam vt ea in re ipse Pater id est Deus habet. Et ibidem linea 24. ponit Christum in hac potestate Patri subordinatum fuisse. Nam quo pacto talis ac tanta si in Filio est subordinata, secus autem in Patre. Sed iam recensendis cōtradictionibus supersedeamus.

Ad blasphemias exponendas transeamus. Quarum Prima est quod mysterium sanctissimæ Trinitatis ab-

surdum

surdum esse, & contradictionem inuoluere pag. 76. versus finem asserit, & pagina sequente in ipso principio: portentuosum & fædum errorem esse audeat nuncupare. Quasi ea quæ sacrarū literarum oracula produnt portentuosi errores dicendi sint. Ergo ne & Ioannes Apostolus ideq; Euāgelista hallucinatus est, qui dixit: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt. Equidem tu Statori erras & vehementer erras, qui doctrinas in diuinarum literarum monimentis contentas spernere carpere, ac toto pectore, & quidem sine vllo fundamēto rationeque ijs aduersari contendis.

Secūda Blasphemia. Certum est inquit nos non concedere Christum esse summum Deum. habet hæc impudentissima verba. fol. 78. linea 26. Et prius fol. 75. præmiserat nullum agnum Dei esse ipsum Deum altissimum, & oppositum affirmare vocat absurdum & blasphemum, paulo ante finem illius paginæ. Ac si non esset summus ille, qui secundum Apostolum ad Romanos 9. vers. 8. est super omnia Deus benedictus in sæcula. (Quibus verbis puerilem quandam interpunctationem adhibet nouus hic blasphemiarum sator, dicens inter ly omnia & ly Deus debere esse punctum, ita vt præcedentia verba, nimirum qui est super omnia, ad sequentia Deus benedictus in sæcula non pertineant.

Quod si liceret hoc pacto textus sacros ad libitũ cuiusq; interpunctuare, in nulla iam scriptura aliquid certi haberemus.) Et ille per quem facta sũt omnia, & sine quo factum est nihil.

Tertia Blasphemia. pag. 114. lin. 28. Nec quisquã vir Sanctus inquit credidisse. in nomine vel in nomen Spiritus Sancti, vel in Spiritum Sanctum expresse legatur. Hæc grauissima blasphemia & mendacium manifeste refellitur, tum ex Symbolo Apostolorum in quo habetur. Credo in Spiritum Sanctum, tum ex pluribus ijsq; ritè & à Spiritu Sancto congregatis Concilijs, in quibus est etiam Nicænum, in his omnibus eandem veritatem viri sanctitate vitæ, doctrinaque perillustres vno ore confitentur, eamque firmiter tenendam docent. An igitur Statorius audebit id quod luce clarius est inficiari.

Quarta Blasphemia pag. 96. circa medium. Negat Christum excitasse seipsum à mortuis, imò dicit hoc implicare contradictionem, adeò vt mirum sit viros alias perspicacis ingenij id minimè aduertisse. Et paulo post. Absurdum est dicere, Deum seipsum propria virtute propriè loquendo, excitasse à mortuis, atq; dicere Deum posse mentiri. Verba certè impudentissima, grauem ac longam obiurgationem exposcerent, quàm certè in die Iudicij non effugiet, ni resipuerit Statorius. Cæterum ad

rum ad refellendum illius dictum satis sit in præsenti verba Christi adduxisse inquientis. Ioan. 10. vers. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, & iterum. Soluite templum hoc, & in tribus diebus. Ioan. 2. vers. 19. reædificabo illud. quod dictum de resurrectione, vel ipsi Iudæi intellexerunt. Unde ad Pilatum seductor, inquiunt, ille dixit adhuc viuens. Matth. 27. vers. 64. post tres dies resurgam.

Quinta blasphemia. Continet multa dicta illius quæ de satisfactione Christi euomere non pertimuit, dū propter eam pag. 34. paulò post initium negandū esse Christo diuinam naturam, contendit. Et pag. præcedenti circa medium non esse verisimile ait, sed nec possibile, vt Christus secundum humanam naturam quidquam meritus fuerit apud Deum, contra id quod dicit Propheta, Isaiæ. 53. vers. 10. Pro eo quod laborauit anima eius videbit semen longæuum.

Verùm tolerari non possunt tria dicta Statorij circa hoc. Nam pag. 38. de eadem satisfactione paulo post medium dicit, non veritati solùm, sed pietati etiam esse inimicam, & omne studium Christianæ virtutis, & conatum Deo obediendi extinguere, ac vi sua perimere. Ac si non verificaretur, quod fidelis sermo & omni acceptione dignus sit, ideo ait Apostolus: Ad Rom; 5. ver.

 10. Chri-

10. *Christum venisse in hunc mundum peccatores saluos facere, & quòd cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, & multò magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum, & quasi non esset sufficiens incitamentum, ad glorificandum & portandum Deum in corporibus nostris (in quo omne studiũ Christianæ virtutis, & conatus obediendi Deo includitur.) ad Corinth. 16. vers. 20. illud Empti enĩ estis pretio magno.*

Secundum dictum eius pag. 53. in principio, vbi hãc satisfactionem Christi infructuosam esse dictitat, ni forsitan de diuina potentia, misericordia, iustitia, veritate ac sapientia, impiè ambigendum sit. Nullo certò clariore argumento, hæc eadem diuina attributa in Deo esse perspicuum est, quàm Christi satisfactione. Quæ enim potentia sufficiens esset, ad Deo pro peccatis nostris satisfaciendum, nisi ipse altissimus fecisset potentiam in brachio suo, & sua omnipotenti virtute, quod semel fecerat Verbo, eodem verbo satisfaciente refecisset. Quæ misericordia nisi diuina potuisset tantarum iniuriarum misereri, vt videns peccatores non posse Deo satisfacere, nec respondere ei vnũ pro mille, ipse factus sit propitiatio pro peccatis nostris. Quæ iustitia nisi diuina ostenditur in illa summa æqualitate, ac superabundãtia meritorum Christi pro peccatis nostris, adeò vt sit pro

pitiatio non pro nostris tantum peccatis, sed etiam pro totius mundi. Sic enim decet, inquit Christus, nos implere omnẽ iustitiam. Cæterum iustitia à veritate non est separanda, quando enim Christus via & veritas de terra orta est, tunc iustitia de cœlo prospexit. Psal. 84. Ad veritatem autem Dei, (in suis dictis per Prophetas sanctos loquẽtes: Iniquitates nostras ipse tulit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, liuore eius sanati sumus.) Isaiæ. Confitendam omnino pertinet credere Christum, opere hæc omnia compleuisse, & pro nobis satisfecisse. Postremo ad sapientiam pertinet attingere vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter. Quænam autem maior fortitudo & suauitas, quàm modum inuenire vt & Deo ex æquo satisfieret, & hominibus gratis peccata condonarentur, & Diabolus per lignum, in quo vicerat, vinceretur. Verum in re manifesta non est quidimmoremur: satis sint verba Apostoli. 1. ad Corinth. 10. vers. 23. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atq; Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Consideret ergo Cãdidus Lector, quorum numero àdscribendus sit, ad quosue pertineat

 ille, qui

ille, qui in Christi satisfactione, per crucifixionem facta scandalizatur. & Dei sapientiam & virtutẽ negat.

Vltimum Dictum Statorij habetur pag. 52. Vbi Catholicum dogma de satisfactione Christi, appellat errorẽ & commentitium quid, contra quod satis sint tot condemnantes, quot animæ quæ in Apocalypsi dicere memorãtur. Redemisti nos Deo in sãguine tuo. Ap c. 5. v. 9.

Sexta Blasphemia Circa cultum Beatissimæ Virginis, de quo mira temerariè loquitur. pag. 43. & 44. cum dicit esse Idololatriam Pontificiorum, ac si aliquis vnquam è nostris, cultu diuino eã coluerit, quod si nullum talem credit Statorius (debet autem credere, siquidem omnes nostri & verbo, & scripto, & opere id perpetuò negant.) cur blasphemat hyperduliæ cultum, quo Beatissimã Virginẽ colere debemus, idololatriã vocans.

De eadem Gloriosissima Domina pag. 44. linea 14. talia ex hæretico pectore venena depromit, vnde constat inquit eam viuere? & si viuat, nostras preces posse audire? & si audiat, nobis posse in re aliqua opitulare? (constat nobis eam viuere: primò communi ratione, qua omnes (etiam Caluinistæ) veri Catholici semper in Ecclesia crediderunt, animas hominum esse immortales. quod iste nouus blasphemus, & in seipsum iniurius, non veretur inficiari. Secundo constat eam viuere, quia iusti. (inter quos sine dubio principẽ locum obtinet Mater glo-

ter gloriosissima Christi) in perpetuum viuent, & quia Sap. 5.
qui viuit & credit in me, inquit Christus, qualem fu- ver. 16.
isse Gloriosissimam Virginem. quis ambigit, non mori- Ioan. 11.
etur in æternum: nisi fortè velit blasphemus iste, dete- ver. 25.
rioris conditionis esse apud Christum, Matrem ipsius,
quàm fuerit latro, qui in cruce audiuit, hodie mecum
eris in Paradiso. Deniq; constat certissima traditione
Ecclesiæ, qua credimus ipsam cum anima & corpore as-
sumptam in cœlis viuere. Traditiones autem nemo, nisi
vel fatuus vel temerarius, negabit. Eandem Gloriosis-
simam Virginem nostras preces audire constat, non so-
lum ex communi traditione, ex vnanimi consensu Ec-
clesiæ, verum etiam ex eo quod est Beata, cum beati in
diuina essentia videant omnes qui inuocant illos, vt
constat ex sana Theologia. Deniq; hæc farina ex mo-
lendino Caluini iam pridem ab vniuersali Ecclesia, in
Concilio Tridentino, iustissimè iuxta & grauissimè da- Sess. 25.
mnata est.

Ipsam autem Serenissimam cœli Reginam, si preces nostras audit posse nobis aliqua in re opitulari, ipsa quotidiana experientia, temerarium quemque conuincit. Vnde meritò S. Bernardus sermone 4. in Assumptione inquit. sileat misericordiam tuam, ô Beata Virgo, si quis inuocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Et certè quis audebit negare. post Christum, Sã-

tiæ Sanctorum dictum illud Dauidicum. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno, congruere. Verum prætermissis alijs, quibus inuocatio Sãctorum confirmari solet, satis sint verba S. Bernardi superius allegati sermone in Natiuitate Virginis. Quid enim? inquit: potesne filius aut repellere (Matrem) aut sustinere repulsam? non audire (matrem) aut non audiri filius neutrum planè. Inuenisti ait Angelus gratiam &c. Maneat ergo indubitatum, contra hanc blasphemiam, Beatissimam Virginem viuere, nostrasque preces audire, & necessitatibus nostris, nobis piè ad ipsã & per ipsam ad Deum confugientibus, opitulari. Sed iam relictis blasphemijs ad calumnias veniamus.

Quamuis autem Calumniæ multæ, eæq; grauissimæ sint, è multis paucas aliquas, exempli gratia solùm adferemus, quarum.

Prima sit. Quod Ecclesiam turpiter & fædè lapsam esse docet. pag. 44. Ecclesia quæ teste Apostolo 2. ad Corinthios. cap 11. vers. 2. est sponsa Christi. Et 1. ad Timotheum. cap. 3. vers. 15. est columna & firmamentum veritatis. Quomodo potest turpiter ac fæde labi, illa scilicet, contra quã portæ inferi præualere nequeũt.

Secunda Calumnia est. Fol. 59. paulo post medium. Totam Ecclesiam, omnesq; Doctores sanctissimos ac sapientissimos, vocat multitudinem errantium, eosdemq;

dicit corruptos Christianos. Ergo ne Christus, qui est pastor bonus. Ioan: 10. vers. 14. quẽ cognoscũt oues eius, erit pastor multitudinis errantiũ. Et certè, si oues Christi circa diuinitatem eius naturalem asserendam ballucinantur, falsum erit quod Christus maneat cum illis, vsque ad consummationem sæculi sicut promisit. Matthæi cap. 28. vers. 20. Falsum deniq; erit, quod Spiritus Sanctus maneat cum illis in æternum. Ioan: 14. vers 6. & doceat illos omnem veritatem, iuxta promissionem Christi. Ioan. 16. vers. 13. Cæterum ipse Statorius errauit sicut ouis quæ perijt. Et nisi resipiscat misera sors infelicem manet, vt potè fauces lupi infernalis nequaquam euasurum.

Tertia Calumnia est pag. 22. in principio se ab Arianismo purgare, eò quod Christum, minimè antequam ex Virgine nasceretur extitisse, contra Arium affirmet, quod quia nos asseruimus, viciniores nos Arianis esse, contẽdit, quo pacto sperandum erit simili ratione à quopiam pronuntiandum de Statorio, ipsum esse Iudæum, quia vnum Deum sicut Iudæi colit. Verum si prudens Lector impietatem calumniæ huius manifestius intueri desiderat, consideret in tantum aliquem ab aliqua secta denominari, in quantum ea, quæ huiuscemodi sectæ propria sunt, tuetur. Non autem in quantum ea, quæ illi cum alijs sunt cõmunia defendit. Alias omnes

sectæ confundentur. Dicitur ergo quis Iudaizare, cum ea quæ sunt propria Iudæorũ, amplectitur. Sicut Messiam nondum venisse. Nunc ergo secta Ariana hoc habet proprium, per quod ab Ecclesia vera distinguitur, quod Christum dixerit esse creaturam, habuit autem commune cum Ecclesia, quod videlicet Christus sit æternus. quorũ primum nos toto pectore negamus, secundum vero, non cum Ario, sed cum Ecclesia Christi vera, à qua hanc veritatem accepit Arius, defendimus. Quo igitur pacto nos Arianos calumniatur iste mentitor? Sed Statorius in eo, quod primum ac proprium Arij assertum vsq; ad aras & focos tuetur, Arianum sese ostẽdit. In eo autem quod secundum, non modo contra Arium, sed etiam contra Ecclesiam negat, se in Arianismo profecisse, & Arianis antiquis peiorem euasisse, manifestissimè comprobat.

Quarta Calumnia. Fideles omnes Idololatros, circa cultum Beatissimæ Virginis. pag. 43. versus finem vocat. Ergo si Statorio placet, Christus fuit Idololatra, qui Beatissimam Virginem coluit & veneratus est, quod hoc Argumentum euincit. In lege erat. Honora patrẽ tuum & matrem tuam. Sed Christus non venit soluere legem sed implere. Ergo Christus honorauit matrem suam. Quod si Christus Idololatriæ scelus, Matri Sanctissimæ honorem exhibendo, non commisit. cur Catholicos id

licos id ipsum præstantes criminis huius reos dicit Statorius? Ac contra manifestissimam calumniam imitatio Christi non potest vocari calumnia. Ergo omnes illi qui ad Christi imitationem eius sanctissimam Matrem ceu talem venerantur, nullo modo citra grauissimam calumniam Idololatræ dici possunt. Quid quod Christus dixit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus, Ioan: 12. ver. 26. numquid ergo non honorificabit gloriosissimam Virginem, quæ tàm sedulò totq; annorum spatio Christo obsequia præstitit? Quodsi & Pater & Filius eam honorãt, nũquid non potius Idololatra erit qui cõtrarium fecerit? certè sic honorabitur ille quem Rex cœlestis honorat, & vult honorari.

Verum Calumniam hanc simplici veritate in aduersarium retorqueamus. Idololatra est, qui cultum soli Deo debitum puræ creaturæ exhibet. Sed Statorius cum suis Christum. quem puram creaturam putat cultu diuino colit. Ergo Statorius cum suis est Idololatra. Maior ex ipsis terminis constat. Minor verò ex verbis Statorij colligitur. Nam Christum esse purã creaturam, & vt ipse loquitur: non cõminiscendã in eo aliam personam vel naturam docet. pag. 82. & Deum in creando nouam creaturam, initium à Christo fecisse docet pag. 128. Et Christum Deum ac Dominum factum secundum voluntatem Dei confiteri se dicit. pag. 97. Et denique

nique pag. 90. nullam perfectionem præter eam, quæ rei creatæ competit (vt supra retulimus) Christo tribuit.

Porrò ipsum Christum, quē hoc pacto creaturam fingit diuino cultu nihilominus illum colendum esse, docet Statorius pag. 199. loquens de Christo his verbis. Cur nos pudeat ipsi confidere, cultuq́; diuino eum venerari? Est ergo Statorius ipse cum suis verè Idololatra, & tamen trabem in seipso non videns, festucam in Catholicis quæ non subsistit quærendo fingit, cum nullum Catholicorum vnquam audierit, Gloriosissimæ Virgini diuinum Deiq; solius proprium cultum tribuendum.

Quinta Calumnia. vel potius mendacium, contra Illustrissimum ac Rñdissimum Patrem Melchiorem Canum Episcopum Canariensem, ex nobilissima Prædicatorum familia, ad huius dignitatis fastigiū euectum, quasi grauissimus & Doctissimus iste Theologus & Antistes, librū Baruch esse apochriphū asserat. ita dicit Statorius pag. 76. in principio. cum tamen tantum abest, quod hoc asserat quin potius in opere illo aureo, de Locis Theologicis, lib. 2. cap. 9. conclusione prima, disertè & specifice hūc librum Baruch asserat esse Canonicum, idque ex professo multis argumentis probet, dicens:

Baruch à Canone sacrarum scripturarum eximere, non solùm temerarium sed etiam erroneum est. & probata hac

bata hac conclusione tribus argumentis concludit. Fa-
teamur ergo ne in Ecclesiæ doctrina grauiter erremus,
quem illa nomine Prophetæ multis annorum centurijs
legit, inter Canonicos esse censendum, nec enim viro
cuique pio persuaderi potest, Deum passurum fuisse vt
populus Christianus tot seculis in re adeo graui deludere-
tur hæc Can9. Cæterũ Hæretico familiare est mẽtiri, au
tores traducere, Catholicis imponere, ac proīde nec in no-
stro falsario desiderari aut expectari aliud poterat. cer-
tè si eos qui ipsi ex diametro contrariātur, in patrocini-
um sui erroris sine fronte audet citare verendum est,
ne etiam de nobis dicat, nos vnà secum de ficta illa di-
uinitate Christi sentire, ac pro suo errore audeat nos al-
legare. Nec te latet vel saltim latere non debet, ô Stato-
ri, quam grauè sit falso quidpiam alicui attribuere, ac
in eum quod tamen ab illo alienum est, seu dictum seu
factum refundere. An ignoras quænam supplicia con-
tra hoc modo delinquentes decernantur? Non erubescis
pro te adducere testimonium quod nequaquam pro te
militet, sed è diametro pugnet. caue quæso, ne quod ea
in re committere ausus es, in alijs quoq; ad comproban-
dos suos errores, & ad confictam illam Christi diuini-
tatem confirmandam, simile quidpiam attentare aude-
as, neuè aliorum testimonio, quod non pro te sed con-
tra te, est vtaris.

Missas libẽter facimus innumeras calumnias, quas malæ fidei delator iste contra nos, congerit, eò quod libentissime pro amore Christi, grauia quæq; non modo verba, sed etiam verbera sustinere parati simus, & pati quam ardentissimè optamus, omnes iniurias si quas pro fide Catholica sustinere Deus Optim. Maximus concesserit.

Verum pro coronide duo adhuc subijciemus Christus seruator noster præcipit, vt si quis Ecclesiam non audierit sit nobis sicut Ethnicus & Publicanus. Sed Statorius Ecclesiam non audit, inquit enim pag. 114. circa medium. Ecclesiam non in omnibus, nec semper nec absolutè audiendam esse. Ergo Statorius debet nobis esse tanquam Ethnicus & Publicanus. Quis ergo credet aut fide dignam iudicet relationem Statorianam.

Secundũm ad hominem. scriptum Statorij reijciamus, ex eo quod ipse pag. 134. & 136. soli sacræ scripturæ imo quod deterius est, dum solum testamentum nouum, Antiquo testamento reiecto recipere videtur, Soli Christi & Apostolicæ doctrinæ sacris litteris comprehensæ, vult nos inniti. Ergo scriptum ipsius meritò cõtemnendum est, ac fide indignum iudicãdum. Sic enim argumentari possumus. Id solum credendum est, quod in sacris literis continetur. Atqui errores Statoriani in sacra Scriptura non extant. Ergo nullo modo, nec ab

ipso quidem Statorio, qui solā scriptum recipit defendendi essent.

Ex his quæ breuiter recensuimus, colligere euidenter poterit Prudens Lector quale sit scriptum à Joanne Statorio editum. Namnon plura, quamuis in promptu iam sint, euulganda vt iam diximus, grauissimorum virorum consilium fuit, sed nec ab istis abstinendum, ipsa inimicorum petulantia persuasit. Verū iterum atq; iterum, protestamur nos paratos esse ore tenus, veritatem Catholicam defēdere, & futilia aduersariorum argumenta refellere, scriptis autem non est quòd frustra occupemur. Deum Optimum Maximum humiliter & enixe precamur, vt inimicis suis gratiam suam & lumen veræ fidei infundat, Catholicos confirmet, & exiguos hosce labores nostros, ad gloriam suam, & Ecclesiæ Sanctæ emolumentum ac decus, dignetur dirigere ac prouehere. Amen.

FINIS PRÆFATIONIS

Assertiones Theologicæ cõtra Hæreticos ad Disputandum propositæ, à PP. Carmelitis Discalceatis Lublini, Anno salutis 1620. 5. Iulij.

1. IMpium est dicere *omnia opera quamuis iustorũ esse peccata mortalia aut venialia*; vel *iustos diuinæ legi non posse satisfacere*, cum de fide sit multos satisfacere.

2. Quamuis fidei tanquam fundamento meritò iustificatio tribuatur, *sola tamen fides ad iustificationem, non sufficit*.

3. Nullus potest habere certitudinem fidei diuinæ sibi dimissa esse peccata, nec fides diuina aut omnino certa ad hoc, potest esse ad iustificationẽ requisita.

4. Iustitia & merita Christi non iustificant nos formaliter per imputationem, sed meritoriè, quia propter ipsa datur nobis vera & inhærens iustitia.

5. Iustorum bona opera absolutè & propriè sunt meritoria vitæ æternæ, nec sunt in omnibus iustis æqualia merita, aut æqualis gratia & sanctitas.

6. Abominandus error est doctrina Lutheri dicentis. *Hominem in suis operibus merè passiuè se habere*: & Caluini dicentis *solùm spontaneè & voluntariè*: &

riè : & omnium aſſerentium, *liberum arbitrium poſt peccatum eſſe titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo.*

7. Secundùm fidem Deus non eſt perſona vna, ſed vnus in natura, trinus in perſonis; nec hoc myſterium eſt contra, ſed ſupra naturam, & intellectũ humanum; & eſt inter has perſonas omnimoda in eſſentia identitas.

8. Æternam & eandem omninò cum Patre diuinitatem Filio Dei denegare, iampridem damnatus & ſemper in Eccleſia damnandus error eſt, & idem dicendum de proceſsione Spiritus Sancti ſolùm à Patre, & non à Filio.

In nomine

Errata sic corrige.

In Præfatione ad Lectorem.

Pagina.	Versus.	Error.	Correctio.
5.	17.	*arena.*	arenam.
	22.	*integre.*	integræ.
6.	13.	*perpendissemus.*	prætendissemus.
7.	1.	*exortem.*	exortæ.
	22.	*depredita*	deperdita.
	23.	*nostrie mendicasse.*	nostro emendicasse.
9.	15.	*arrogantia.*	arrogantiæ.
12.	2.	*relationi.*	relationem.
	18.	*quod quidem, adde*	esse.
	19.	*dele,*	prædictis verbis.
18.	21.	*absurdum dele, loco eius pone*	perinde.
20.	23.	*diuinæ.*	diuina.
21.	7.	*loquentes.*	loquentis.
		Isaiæ. *adde,*	53. vers. 5.
	17.	*quid immoremur.*	quod immoremur.
22.	19.	*opitulare.*	opitulari.
24.	6.	*potes.*	potest.
26.	10.	*calumniatur iste mẽtitor*	calumniator iste mẽtitur.
	17.	*idololatros.*	idololatras.

IN DISPVTATIONE.

Pagina.	Versus.	Error.	Correctio.
10.	15.	*teneret.*	renueret.
15.	18.	*sub.*	suo.
16.	12.	*conquerit.*	conqueritur.
19.	10.	*promissum.*	permissum.
43.	4. & 5.	*ex quo omnia.*	per quem omnia.

Reliqua errata prudens Lector facile animaduertere poterit, & æqui boniuè consulet.

In nomine Sanctissimæ Trinitatis. Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

INITIVM DISPVTATIONIS.

POSTQVAM omnes conuenissent, Catholici pro parte sua, in præsentia Hæreticorum, elegerunt ac deputauerunt in Notarium disputationis Magnificum D. CHRISTOPHORVM PAWLOWSKI, Vicepalatinum Lublinensem, & Notariũ Castre nsem Biecensem. Tunc fuit aliqualis controuersia circa Notarium pro parte Hæreticorum, & cito conclusum est, vt alter etiam ab ipsis nominaretur, & vterq; sibi proximè assiderent, ac fideliter quæq; diccnda in charta exararent. Ad id muneris designatus est D. IOACHIMVS RVPNIEWSKI. Rebus ergo compositis, Præsidens Disputationis in suo loco stans, signoq́; Sanctæ Crucis seipsum muniens, Disputationi in hæc ferè verba initium dedit.

RELATIO

Disputationis Lublini die 5. Iulij. Anno Domini, 1620. pomeridiano tempore, in æde B.V. Mariæ de Monte Carmelo, inter RR. PP. Carmelitas Discalceatos, & Ministrum Ariani cætus Lublinensis. D. Ioannem Statorium. præsentibus multis Illustrissimis ac Magnificis Dñis, tàm Iudicibus, eiusdem Disputationis, quàm Testibus aut Auditorib. habitæ, à Magnifico D. Christophoro à Lipa Pawlowski, conscripta.

PRÆFATIO
R̃ndi Patris Præsidentis.

DVo sunt Nobilissimi & Illustrissimi Auditores, de quibus in ipso Disputationis huius limine præmonendos vos esse censuimus. Primum est quo fine concertatio hodierna instituatur. Secundùm, quis in ea modus sit seruandus. Prudentis quippe est in omni actione

finem debitum sibi præfigere, & deinde media aptissima ad eius consecutionem eligere. Finis ergo noster præcipuus, est gloria Dei Optimi Maximi, eiusq; sanctissimi Nominis exaltatio, & vt Diuinitas Vnigeniti Filij Dei clariùs elucescat, cunctisq; manifestiùs appareat. Est etiam finis noster, consolatio Catholicorum, vt re oculis subiecta gaudeant, opere ac re ipsa comprobari, id quod non semel audierunt, argumenta scilicet contra Fidem, quæ ab Hæreticis sunt adinuenta nullius esse valoris, sed à Catholicis optimè solui. Accedit & illud confirmatio scilicet eorum, qui forte in fide non sunt stabiles, ne vlterius vacilent, sed veritate cognita, eam constantissimè amplectantur, & immobiliter in ipsa perseuerent. Demum intendimus, quod & enixe à Patre luminum petimus, vt radius veritatis fidei inimicis eius elucescat, & ipsa agnita ab erroribus suis aduersarij resipiscant. Non ergo propter inanem gloriam, vel popularem auram captandam, sed propter Deum Deiq; sanguine redemptas animas præsens certamen inimus. Iam verò ad hunc tam sanctum, tamq; optabilem finem media apta erunt eligenda, quæ non iam à nobis, quàm ab ipsa prima veritate eliguntur ac designantur, dicente Seruatore nostro: Matth: 10. ℣. 16. *Estote prudentes sicut serpen-*

serpentes, & simplices sicut columbæ. Modus itaque agendi debet esse modestissimus, sed simul etiam efficacissimus, mitis quidem, ne in iracundiam declinet, non vt ignauiam præ se ferat, feruens ne sermo veritatis languescat, aut fides in periculum reuocetur, non furens, aut quasi aduersarium vi opprimens. Vno verbo simplex & prudens, vt veritas elucescat, errores refutentur, animi vniantur, & charitas foueatur. Hæc si seruentur, erit vt speramus & Deo gloria, & nobis vtilitas non modica. Sed nec illud silendum puto, accepisse nos a viris fide dignissimis, Dominos Hæreticos timere, ne vis aliqua hoc in loco illis inferatur, adeò vt non sint veriti dicere à Patribus Carmelitis præparatas esse bombardas, & id genus alia contra ipsos. Vana sunt hæc, & indigna, non modo quæ credantur, verum quæ nec audiantur quidem. Nunc ergo promitto illis bona fide, summam securitatem, non solum communi titulo propter publicam pacem, quæ sub Iudiciorum Tribunalis Regni celebratione maxime esse consueuit. Sit ergo caput meũ hodie pro vno quoque illorũ, si aliquid tale in præsenti disputatione patientur; imò ad proprias ædes peracta disputatione incolumes reduci curabo. Non est quod timeant, bona fide cum illis agimus. Rem itaque

aggrediamur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

3. Dominus Joannes Statorius Lublinensis Arianorum cœtus Minister, qui argumentantis munus pro parte Hæreticorum susceperat, voluit ad hæc Polonicè respondere. Renuebant primò Magnifici Domini Iudices; tum quia Præfatio Reuerendi Patris Latina fuerat, & congruebat vt responsio à propositione, idiomate non discreparet, tum quia Disputatio Latinè expedienda erat; æquum autem videbatur, vt ab initio & fine progressus non dissideret. Ne tamen tempus Disputationi debitum in hac concertatione consumeretur, concessum est hæretico, vt Polonicè pro hac duntaxat vice loqueretur. Respondit ergo in hæc fere verba.

Responsio D. Statorij ad Præfationem R. P. Præsidentis.

4. Mościwi Pánowie / co sie tycze Præfácyey / ktorą Wielebny X. Jan Márya vczynił / w ktorey dwie rzeczy mowił. Pierwsza / że intencya iego w tey Disputáciey iest sámá Chwałá Páná Jezusowá / mowie / że táż iest intencya moiá y nászych / ktorzy-smy tu na te disputácyą przyszli. Wtora zás / iákim sposobem tá Disputácya ma bydź odpráwowána / to iest żeby skromnie / y bez wszelákiego tumultu / y nam też

nam też bárzo ſie podoba/ y my tákże z ſwoiey ſtrony chcemy te ſkromność bárzo pilno záchowáć. Tylko zdáło mi ſie przydáć z ſtrony obawiánia ſie náſzego / iáko vdano/ vfamy cnoćie y ćichośći Oycow / y powadze Sądu/ ktory ſie teraz w tym mieśćie odpráwuie. y láſce ich Mośći/ że nic tákiego ná nas nie przydźie. Niechay ſam Pan Chryſtus y prawdá iego zwyćieſtwo otrzyma.

5. *Hac Præfatione finita antequam ad argumentandum progrederetur, petijt arguens vt ſi fieri poſſet, Diſputatio Polonicè celebraretur. Concluſum eſt à Magnificis Dominis Iudicibus nullo modo Polonicè diſputandum, tum propter vſum Eccleſiæ Romanæ, quæ ſemper Latino Idiomate in huiuſmodi concertationibus vti conſueuit, tum quia Defendens & Præſidens cùm eſſent exteræ nationis, non potuiſſent ita commodè ſatisfacere, tum denique quia materiæ iſtæ ſcholaſticæ ægrè aliter quam Latinè explicari poſſent. Acquieuerunt hæretici. Suſcepit arguens ſeptimam Theſim in ordine inter eas, quæ contra hæreticos erant propoſitæ. quæ ſic habet.*

Secundùm fidem Deus non eſt perſona vna, ſed vnus in natura, Trinus in perſonis, nec hoc myſterium eſt contra, ſed ſupra naturam & intellectum humanum, & eſt inter has perſonas omnimoda in eſſentia identitas.

Argu-

Argumentum Ministri.

6. Pater ille ex quo omnia non est trinus in Personis. Deus ille vnus est Pater ex quo omnia. Ergo Deus ille vnus non est trinus in Personis.

7. *Respondit Pater cum distinctione ad minorem:* Deus ille vnus est Pater ex quo omnia. *Distinguo.* Est solum Pater ex quo omnia *Nego.* est non solum Pater ex quo omnia, sed etiam aliqua alia persona *Concedo maiorem.* Ergo Deus ille vnus non est trinus in Personis *Nego consequentiam.*

8. *Repetijt arguens distinctionem datam, & cœpit hæsitare dicens:* hanc distinctionem vel non soluere argumentum, vel ad eius solutionem non pertinere. *Et aliquandiu cogitabundum alius quidam nomine Ioannes Grillus Francus Rector, Gymnasii Rakouiensis à latere suggerendo iuuabat.*

9. *Interim dixit illi præsidens vt probaret negatum, & arguens dixit:* Produco locum Pauli 1. ad Corint: 8. ℣. 6. Nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia. *Responsum est illi.* Procedat in forma. *Tunc instituit.*

Vbicunque est maior & minor vera, est ibi vera & conclusio. Sed proposita maior, & minor est vera. Ergò est vera & conclusio.

Hoc

Hoc argumentum cùm nihil ad eneruandum labefactandumúe distinctionis robur conduceret, sed supponeret propositiones antecedentis absolutè esse concessas, & solùm negatam consequentiam, cùm tamen non essent concessæ, nisi adhibita distinctione minoris, admissum est totum, & dictum est. Transeat hoc argumentum, procedat in forma. *Relicto ergo hoc argumento, processit Rñdi Patris distinctionem impugnaturus hoc syllogismo.*

Vbicunq; non sunt quatuor termini, ibi nulla potest esse distinctio.

Sed in distinctione Rñdi Domini non sunt quatuor termini, ergo nulla est distinctio.

11. *Admissa maiori negata est minor. Inquisiuit Minister* : quinam sint isti quatuor termini? *Rñdus Pater ostendit illos tali modo.* Deus ille vnus est solus, Pater ex quo omnia *nego*. ecce duo. Deus ille vnus est non solum Pater ex quo omnia, sed cum aliqua alia persona, *concedo*, ecce alii duo termini, & ita sunt quatuor. *Hac enumeratione quatuor terminorum in sua distinctione facta Rñdus Pater Minorem negatam voluit probari quæ talis est* : Sed in distinctione Rñdi Domini non sunt quatuor termini.

12. *Arguens dixit* : Propositio quam assumpsi in antecedente verissima est.

Respon-

Respondit Rn̄dus Pater: Iam ostensum est esse falsissimam, probet ergo illam si est verissima.

13. *Dixit Arguens:* Non teneor probare hanc minorem.

Respondit Pater: Tenetur probare negatum, negata est minor nempe: sed in distinctione R. Domini nō sunt 4 termini, hanc ergo tenetur probare.

14. *Dixit Arguens:* Fateor ostensos esse 4. terminos, sed non in meo sensu, ostendam ergo in meo argumento non fuisse 4. terminos.

15. *Respondit R. Pater:* Non de argumento agitur, sed de distinctione. Minor enim fuit; sed in distinctione R. Domini non sunt 4. termini.

16. *Instabat pertinaciter arguens, affirmans à se dictum esse,* sed in argumento non sunt quatuor termini: *quoadusq; ab vtriusq; partis notarijs quod scripserant reuisum esset, & inuentū est minorem sub conceptis verbis fuisse prolatam. sicut Rn̄dus Pater testabatur nimirum* sed in distinctione R. Domini &c. *non autem sicut hæreticus contendebat, nimirum,* sed in argumento non sunt 4. termini.

17. *Iniunctum est itaq; illi vt banc minorem probaret,* sed in distinctione Rn̄di Patris non sunt 4. termini: *& nihilominus proposuit tale argumentum.*

In quocunque argumento omnes tres termini

vno eodemque sensu vsurpantur, ibi non sunt 4. termini.

Atqui in argumento meo omnes tres termini vno eodemque sensu vsurpantur.

Ergo in argumento meo non sunt 4. termini.

18. *R̃ndus Pater admisit totum argumentum, quia ad propositum non spectabat, & dixit:* Nihil est respondendum quoadusq; probetur negatum, vel certè concedat propositionem negatã se non posse probare, & bene negatam esse, & id quod tanquam verum D. V. suscepit probandum à veritate esse alienum, scribaturq; hoc, & libenter concedimus illi, vt transeat ad aliud.

19. *Hic fuit non modica altercatio dum & arguens teneret confiteri se non posse probare; & nihilominus probare id nequaquam posset quod debebat scilicet minorem negatam, donec R̃ndus Pater protestatus est arguentem nolle probare quod debebat, & seriem disputationis à Domino Statorio verbis ab instituto alienis interumpi; rogauitq; Magnificum Dominum Marschalcum & cæteros Dominos, vt iuberent illum probare negatum; vel certè concederet se non posse probare, & victũ esse, vt hoc pacto daretur illi facultas aliud probandi*

20. *Dixit Arguens:* Rogo vt procedatur cum maiori lenitate.

Respondit

21. *Respondit Rn̄dus Pater*: Videant cum quanta lenitate procedo, dico vt negatum probet: vel si non potest probare, scribant hoc notarij, & libens annuo vt ad aliud transeat. Num igitur maximæ lenitati quippiam desideretur, omnes iudiciũ ferant.

22. *Renuebat Arguens probare minorem, & postquam multa non ad rem inseruisset, ex quibus illud; se alio sensu sumpsisse propositionem, & non iuxta illum responsum sibi esse. Cùm Rn̄dus Pater respondere vellet, dixit Dn̄us Statorius*: Rogo vt modestè.

23. *Respondit Rn̄dus Pater*: Respondebo modestissimè, & an modestiæ limites transgrediar omnes, ac ipse Dominus Statorius sint iudices. Fatetur Dominus Statorius se alio sensu sumpsisse propositionem, & alio sensu à nobis sibi responsum esse. Inquiro ergo an sensus in quo nos respondimus, ad dissoluendum argumentum conferat, an non? si non, idipsum probet; si confert, illum ergo sensum in quo ipse suam propositionem sumebat, ad rem non esse, & consequenter non eo sensu quo debebat propositionem à seipso sumptam esse fateatur. An igitur responsio hęc modesta censenda non est?

24. *Respondit Dn̄us Statorius*: Modestia Rn̄di Domini in respondendo valde mihi probatur; cæterum probo minorem negatam in meo sensu esse

veram, ego enim illam propositionem, in distinctione R. Domini non sunt 4. termini ita accipio ac si dicerem, non ostendit R. Dominus ista sua distinctione in meo argumento esse 4. terminos.

25. *Respondit Rndus Pater*: Nihil facimus, probet negatum.

26. *Instabat Arguens*: Rndo licet se explicare quandocũq; illi placet, cur ergo & arguenti non liceat mentem suam explicare?

27. *Respondit Rndus Pater*: Ad hoc quod dicit R. Dñus Statorius breuiter duo dico. Primò non pertinere ad argumentantem explicare suum argumentum, sed ad defendentem, imò solere arguentes & maximè hæreticos, quam maximè possunt implicata argumenta proponere vt conuincant; defendentis autem partes esse obscuriora quæq; in argumento elucidare, arguens enim implicat non explicat propositionem. Secundò dico: quòd quamuis ego pro mea modestia vellem indulgere D. Statorio vt explicet suum argumentum, nunquam tamen permittere possum aut debeo, vt talem explicationem det quæ potius mutet quàm explicet argumentum, nisi fortè fateatur se conuictum in eo quod mutando relinquit, aliud quippe est explicare argumentum, aliud verò ipsum mutare; id autem

quod

quod D. Statorius dicit esse explicationem suæ minoris, non est explicatio sed mutatio, sunt enim istę duæ distinctissimæ propositiones: in distinctione non sunt 4. termini, & distinctio non ostendit in argumento quatuor terminos. Rogo ergo non mutet argumentum palliando mutationem nomine explicationis, sed probet suam propositionem negatam scilicet: In distinctione R. Domini non sunt quatuor termini. Equidem explicationem admittam mutationem non item.

28. *Dixit Arguens*: Ostendam istam distinctionem esse nullam.

29. *Respondit Rndus Pater*: Concedat vt scribatur, se non esse probando quod tenetur, nimirum negatam, ego pariter concedam vt hoc probet.

30. *Tandem post aliqualem controuersiam recognouit arguens, & concessit vt scriberetur, se non probare id quod tenebatur, & concedi sibi vt aliud probaret. Reuera tamen id quod debebat probare, non poterat.*

31. *Suscepit ergo ostendere distinctionem traditam nullam esse hoc sillogismo.*

Argumentum aliud DOMINI STATORII.

 Quæ-

Quæcunque distinctio in Argumento opponentis non ostẽdit quatuor terminos, illa distinctio nulla est, sed hæc distinctio non ostendit in argumẽto 4. terminos. Ergo hæc distinctio nulla est.

32. *Negata est maior. Probauit.*

Quæcunq; distinctio approbat argumentum opponentis quoad formam, illa distinctio nulla est.

Sed distinctio quæ non ostendit quatuor terminos, in argumento opponentis, ipsum argumẽtum quoad formam approbat.

Ergo distinctio quæ non ostendit in argumento opponentis quatuor terminos nulla est.

33. *Admissa pro tunc maiori negata est minor, & cum non posset eam probare, inquisiuit cur negaretur.*

34. *Respondit Rndus Pater.* Dicam, sed rogo sint testes omnes, & recordentur bene, postquam hæc fecero, D. STATORIO minorem hanc negatam esse probandam nimirum; sed distinctio quæ non ostendit in argumento opponentis quatuor terminos, ipsum argumentum quoad formam approbat: Nunc ergo falsitatem eius sic ostendo.

Defectus in argumento quoad formam potest esse multiplex: non solùm ea ex parte quòd sint 4. termini, verùm ex hoc etiam capite, quod varietur appellatio, aut suppositio, argumentando à non di-

stributo

ſtributo ad diſtributũ, & his ſimilia; inde eſt quod quamuis diſtinctio non oſtenderet in argumento 4. terminos, ac proinde tacitè quodammodo approbaret non eſſe 4. terminos, non idcirco tamen approbaret argumentũ quoad formam; ſed poſſet aliorum vitiorum defectuumué indicandorum gratiâ dari, & ideo falſa eſt minor propoſitio. Probet ergo Dominus Statorius hanc propoſitionẽ quam probare tenetur, diſtinctio quæ non oſtendit in argumento opponentis 4. terminos approbat argumentum quoad formam.

35. *Cùm autem non poſſet illam probare, cœpit arguens conqueri.* Nihil ſibi reſponderi ad rem, ſed ſolis diſtinctionibus confundi intentum principalis argumenti.

36. *Reſpondit Rñdus Pater:* Nos reſpondemus ſecundùm quod argumẽtum petit. Dominatio veſtra ſub hoc vitio, qui tales ꝓpoſitiones ponit, quæ hoc pacto diſtinguendæ ſunt, tribuat, oportet.

37. *Dixit Hæreticus:* Quid mihi cum terminis Logicis, non de Logicis eſt diſputatio, ſed de Theologicis: concedo ego Rñdo Domino palmam in Logicis, ſed in Theologicis videre cupio, quo pacto mihi reſpondeat.

38. *Reſpondit Rndus Pater:* Palmam mihi cõcedi non

di non curo; iam enim à principio dixi à nobis nõ quæri gloriam propriam, ſed veritatis. Verùm rogo ſi de Theologicis nos reſpondentes audire deſiderat, cur quæ Logicæ ſunt ipſe ingerit? cui enim imputandum eſt, quod ad hæc deuenerimus, niſi Dominationi veſtræ, quæ propoſitionem ex Logica intruſit, nimirum; An diſtinctio quæ non oſtendit quatuor terminos in argumento, approbet argumentum quoad formam nec ne? numquid ego iſta intermiſcui? Si ergo Dominatio veſtra ipſe anſam præbuit, imò integra cauſa fuit, cur de nobis immeritò conquerit, probet propoſitionem à ſe obiectam, cuius falſitatem manifeſtè rogatu Dominationis veſtræ demonſtraui.

39. *Cùm autem nollet hæreticus probare quod tenebatur, Rndus Pater proteſtatus eſt dicens:* Suo à ſe muneri ſatisfieri nec per ipſum ſtare, ac Dominum Statorium eſſe victum; nec ad probandam propoſitionem adductam vires ei ſuppetere & nihilominus renuere eum idipſum fateri, ſed iniuſtis querimoniis rem totam turbare.

40. *Interim Domini Iudices omninò iniunxerunt arguenti, vt probaret negatum ſicut tenebatur.*

41. *Aſſurgens Dnus Statorius, Polonicè Magnificos Dominos Iudices compellauit:* Mościwi Pa-

nowie/

nowie/iam chćiał árgumentowáć z mieyscá Páwłá świętego/ y pokázáć prawdę/ á X. Jan Márya nie da mi przyść do tego/ iedno distinctiami swoimi odwodzi mie. Ten iest moy argument, że Páwel świety mowi/ że nam iest ieden Bog Oćiec/ tedy nie może bydź/ żeby Syn miał bydź táki Bog iáko y Oćiec/ bo nie byłby ieden. Ten iest moy argument, niechay ná to odpowie.

42. *Ægrè admodum permiserunt illum Magnifici Domini iudices hæc verba Polonicè dicere, arguentes hæreticum non stare promissis cum in primo disputationis aggressu promisisset se idiomatè Latino vsurum, præsertim cùm incommodum foret Rndo Patri illud idioma vsurpanti eodem respondere, visum tamen est opportunum, vt etiam Rndus Pater Polonicè eo modo quo poterat responderet.*

43. *Tunc Reuerendus Pater dixit*: Iam quòd Polonicè loquutus est arguens, non renuam Polonicè illi respondere.

44. *Surrexit Admodum Rndus Dominus Nicolaus Starzynski, Præpositus Infulatus Lascensis, qui ex Iudicibus Disputationis vnus erat, & clara voce dixit:* Słuchayćie tedy co Oćiec choć Włoch/ po Polsku wam odpowie.

45. *Et Rndus Pater subdidit*: Niechay wszyscy

słucháią/

ſłucháią. Je° Mość Pan Stoiński (á tu ſie ozwáli Pánowie popráwuiąc Oycá / że to nie Stoiński / ale Statorius, nie trzebá go Szláchcicem czynić) vſkarżaſie ná mie że ia tylko go báwie diſtynkcyámi niepotrzebnymi / y terminámi Logickimi / y że on chciałby de Theologicis árgumẽtowáć. A ia ná to odpowiadam / że ia bárzo rad y wolę de Theologicis niżeli de Logicis odpowiadáć / ponieważ o wiáre nam idźie / ále dziwuię ſie bárzo / że mowi / że tak chce / á záś dáleko ináczey czyni / y vſkarża ſie ná mie / że go ia do rzeczy Logicales przywodzę / á przecię on ieſt prawdźiwie ktory mie ad Logicalia przymuśił: bo on ieſt / ktory argumenta de Logicis propono wał; á ia muſzę odpowiadáć mu ná to co on proponuie: y zá nim choć nie rad iść. Niechay tedy nie vſkarża ſie ná mie / ieno ná ſie / ktory te rzeczy w tey diſputácyey wtrącił: á ieſliże chce ad Theologica transire, ia pozwalam bárzo rad / ále niechay mi on pierwey pozwoli / że nie może probowáć co powinien ieſt probowáć / abo ráczey że on źle czynił wtrącaiąc materię nie do rzeczy in diſputatione Theologica, á niechay to piſárze nápiſzą.

46. *Annuerunt Magnifici Iudices, & cæteri dictis Rndi Patris.*

47. *Tunc Rndus Pater dixit arguenti:* Rogo deę

gloriam

gloriam Deo, fateatur veritatem, ne temporis iactura fiat, siquidem solam veritatem quærimus, permittat vt scribatur, se defecisse in hoc & transeat ad aliud.

48. *Hic fuit longa coucertatio dum erubesceret hæreticus fateri se esse victum, nec posset, quamuis ei socij continuo in aurem susurrarent, probare negatũ. Tandem concessit sicut prima vice scribi, teneri se propositionem illam negatam probare, nec id præstare, & ita promissum est illi vt sicut volebat iterum argumentari inciperet;* sed caueat, *inquit Rñdus Pater,* ne iterum me ad Logicalia deducat.

Progressus Statorii ad principium cum non posset procedere in forma nec probare negatum.

49. *Reassumpsit ergo argumentum à principio positum dicens:* Pater ille ex quo omnia, non est trinus in Personis.

Deus ille vnus est Pater ex quo omnia.

Ergo Deus ille vnus non est trinus in Personis.

50. *Dum defendens repeteret hoc argumentum, & munus suum feliciter ac strenuè exerceret, dixit arguens:* Rogo vt Rñdus Dominus Ioannes Maria ipse-

ipſemet repetat argumentũ nam terimus tempus, & quando diſputauimus cum Rñdis Dominis Ieſuitis, & cum Rñdis Dominis Dominicanis, non ſunt vſi iſta ceremonia, ſed ipſimet reſponderunt nobis, cur ergo Rñdus Dominus Ioannes Maria ſit melioris conditionis quàm illi?

51. *Reſpondit Rñdus Pater*: Sanè tempori diſputationis nihil officit, qũuuis defendẽs repetat cum non minus temporis ego ipſe repetendo impendiſſem. Quod verò attinet ad exempla Rñdorũ Patrũ Prædicatorũ & Societatis IESV, ingenuè fateor me non modo non melioris verùm longè inferioris cõditionis eſſe, ſum enim inter omnes minimus; illud tamen omnes qui in diſputationibus ſunt verſati, diffiteri non poſſunt, rem diuerſimodè poſſe fieri. Vnde & ego ipſe non ſum dedignatus, ſed libentiſsimè contra diſcipulos Rñdorum Patrũ tâm Ordinis ſancti Dominici, quàm Minorum ſancti Franciſci, & Societatis IESV argumentatus ſum, cur ergo nunc moleſtiæ ſit Domino Statorio contra diſcipulum meum defendentem argumentari? Accedit quod grauiſsimi & doctiſsimi Magiſtri & Prælectores tam Naturalis quam Supernaturalis Theologiæ hoc in loco idipſum facere non renuerunt, cur ergo Dominus Statorius vult melioris

oris esse conditionis quàm illi, vel cur ægrè fert id quod tàm docti & eminentes viri non modo, non ægrè tulerunt, sed etiã promptissimè acceptarunt. His omnibus addo, me sicut scrutator cordium optimè nouit, nõ propter fastum hoc facere; sed ideo quia postquam propter obedientiã nostri sacri Ordinis Fratribus Theologicas disciplinas vt idonei Catholicæ Fidei præcones euaderent tradidi, rationi consentaneum visum est vt in ipso actu certaminis eos dirigerem ac instruerem, & hoc pacto addiscerent quomodo armis scientiæ comparatis contra inimicos Catholicæ Fidei vti debeant.

52. *Dixit Statorius:* Benè est vt doceat illos, sed domi in priuato non hoc loco.

53. *Respondit Rñdus Pater:* Imo verò postquam in priuato satis pro viribus edocui illos, in ipso actu certaminis maximè exercendi sunt.

54. *Tandem determinata est hæc concertatio à Magnificis Dominis Iudicibus, qui adiudicarunt Defendentem non debere à suo munere cessare, siquidem & in alijs disputationibus ita factum fuerat.*

55. *Responsum est ergo ad argumentum propositum in forma.* Pater ille ex quo omnia non est Trinus in Personis, *concedo maiorem sicut prius. Ad minorem.* Ille vnus Deus est Pater ex quo omnia, *distinguo*

stinguo sicut prius, est solùm Pater ex quo omnia, *nego minorem*, est non solùm Pater ex quo omnia, sed etiam aliqua alia persona, *concedo minorem*, ergo Deus ille vnus non est trinus in personis, *nego consequentiam*. Sicut apparet in hoc argumento. Adam ille ex quo omnes, non est multiplex in personis, sed homo est Adam ille ex quo omnes. Ergo homo non est multiplex in personis. Cui argumento qui voluerit respondere, admissa maiori & distincta minori, sicut nos fecimus, negabit consequentiam.

56. *Dixit arguens*; Ego quoq; vrgebo sicut prius.

57. *Respondit Pater*: Protestor quòd non ego abduco illũ à Theologicis ad Logicalia, sed ipsemet Arguens iterum sicut prius me ad illa vult cogere, non ergo queratur me authore ab argumento Theologico digressionem fieri.

58. *Hoc audito arguens alio modo processit, & corrigens se dixit*; distinctio hæc nihil facit, quia accipienda est minor in vtroq; sensu. Ergo &c.

59. *Responsum est negando antecedens*; nõ enim, inquit Rñdus Pater, propositio illa nisi in vno sensu accipi potest.

60. *Instat arguens*. Siue ille vnus Deus dicatur esse solus, siue non solus Pater: est illa minor à me proposita vera. Ergo &c. *Negatum*

61. *Negatum est antecedens. Proposuit ergo arguens probare hanc propositionem.* Ille vnus Deus est solùm Pater ex quo omnia.

Si Apostolus illis verbis *Nobis est vnus Deus Pater ex quo omnia*, præter Patrem intellexisset Filium & Spiritum Sanctum, non rectè explicuisset id quod explicandum suscepit.

Sed rectè explicuit. Ergo Apostolus in illis verbis Nobis vnus est Deus ex quo omnia solum Patrem intellexit.

62. *Respondit Rñdus Pater* : Antequam huic argumento dem responsum, dico Domino Statorio non esse hoc probandum, sed aliud, erat enim propositio talis probanda. Ille vnus Deus est solùm Pater ex quo omnia, & non agebamus de mente Apostoli, de qua (si quid valet) hoc argumentum solùm concludit, aliud est autem quo sensu loquatur Apostolus, aliud verò an propositio negata sit vera. Vt autem Dominus Statorius non putet me velle difficultatis vim (si quæ est) deludere, ego ipsum deducam & instruam.

63. *Dixit arguens* : Rñdus Dominus nihil aliud facit, præter quam quod detineat argumentum.

64. *Respondit Rñdus Pater* : Non ego detineo argumentum, sed Dominatio vestra quæ non probat ne

bat negatum, & mirum est quod volentem me Dominationem vestram à recto tramite argumentandi aberrantem dirigere ægrè sustineat.

65. *Tunc ego Notarius clara voce dixi :* Domine Statori, profectò deberet gratias agere Rñdo Patri, quòd argumentum ipsi formet & dirigat. *Hoc idem & multi alij vnà mecum dictitabant, non mirò enim Rñdus Pater instruebat Dominum Statorium, & argumenta ipsius dirigebat.*

66. *Dixit ergo Rñdus Pater :* Si vult procedere in forma, priùs dicat hoc modo :

67. *Interrupit arguens dicens :* Quid frustra tempus terimus in hoc, non quærimus nisi veritatem.

68. *Respondit Rñdus Pater :* Et nos veritatem quærimus.

69. *Dixit arguens :* Cur ergo me impedit dum volo transire ad locum Pauli de quo est difficultas, & ex quo veritas debet elucescere ?

70. *Respondit Rñdus Pater :* Imo & hoc ipsum nos volumus, vt transeat ad locum Pauli, sed transeat per hanc ianuam, satis est quod conniueam errori commisso, formetur argumentum hoc modo.

Quando Apostolus dicit : *Nobis enim vnus Deus est Pater ex quo omnia.* intellexit solùm Patrem.

Sed ita debemus sentire de vno Deo sicut Paulus intelle-

intellexit. Ergo Deus ille vnus est solùm Pater.

Hæc enim est minor negata & probanda. Postquam autem huic syllogismo responderimus, tunc poterit instare in forma argumento nuper à se proposito.

71. *Cui argumento à Rndo Patre formato, quod tandem approbauit arguens responsum est negando maiorem. Probauit maiorem.*

Si Apostolus in illis verbis: *Nobis vnus est Deus Pater ex quo omnia.* Præter Patrem intelligeret Filium & Spiritum Sanctum, non rectè explicaret id, quod explicandum erat.

Sed explicuit. Ergo solùm Patrem intellexit.

72. *Negata est maior. Probauit.*

Qui in explicando vno Deo omittit duas personas, de quibus maior est controuersia, & quæ æquè ad rem pertinent, ille non rectè rem explicat.

Atqui Apostolus in explicando vno Deo ex sententia Rndi Domini omisisset duarum personarum mentionem æquè ad rem pertinentium, & de quibus est maior controuersia.

73. Ergo Apostolus non rectè rē explicuisset. &c.

Distincta est maior qui in explicando vno Deo omittit duas personas de quibus maior est controuersia, & quæ æquè ad rem pertinent, ille non rectè explicat.

explicat. *distinguo*, qui omittit negando seu significando illas duas personas non pertinere ad vnum Deum, *concedo* illum non rectè rem explicare, qui verò omittit solum tunc non exprimendo, *nego* illum non rectè rem explicare.

Ad minorem. Sed Apostolus in explicando vno Deo ex sententia nostra omisisset duarum personarum mentionem æquè ad rem pertinentium, & de quibus est maior controuersia. *Distinguo minorem*. omittit significando non pertinere, *nego*, omisit pro tunc non exprimendo *concedo*.

Ad consequentiam. Ergo Apostolus non rectè rem, id est Dei naturam explicuisset; *distinguo consequens*, quantum ad intentum suum *nego*, quantum ad omnia quæ huic vni Deo aliâs competunt, *admitto*.

74. *Contra*. Si ad bonam explicationem requiritur vt id quod necessarium non solùm vt non negetur, sed etiam vt exprimatur, præsertim cùm de eo maior sit controuersia, quàm de illo quod exprimitur, sequitur istam distinctionem non soluere argumentum.

Sed ita est in proposito. Ergo &c.

75. *Respondit Rndus Pater: Corrigendo argumentum hæretici, & reducendo illud ad meliorem formam,*

sicut

sicut aliàs consueuerat dando maiorem vim ipsi; vt constaret quòd Rńdus Pater bona fide, solumq; animo elucidandi veritatem procederet. Formauit ergo Rńdus Pater argumentum in hunc modum.

Ad bonam explicationē requiritur vt id quod est necessarium non solum non negetur, sed etiam exprimatur, præsertim cùm de eo est maior controuersia, quàm de eo quod exprimitur.

Ergo distinctio data non soluit argumentum.

76. *Respōdit Rńdus Pater ad antecedens*: In tantum explicandum esse quippiam necessarium aut controuersum in quantum conducit ad intentum explicantis, verùm quia Paulus non intendebat explicare totam doctrinā de Deo, sed solùm id quod pertinebat ad proprietatem Patris, ideò rectè & sufficienter, explicauit quod intendebat, solùm Patrē nominando. Igitur in forma ad antecedens respōdeo, ad bonam explicationē requiritur vt id quod est necessarium non solum non negetur, sed etiam exprimatur: *distinguo antecedens*, id quod facit ad intentum explicantis *concedo*: id quod non facit ad intentum explicantis *nego*.

77. *Institit contra.*

Intentum Apostoli erat explicare quis sit ille vnus Deus. Ergo debuit mentionem facere duarum perso-

perſonarum de quibus eſt maior controuerſia, & quę per Rñdum Dominum ſunt æquè neceſſariæ ad eſſentiam Dei.

78. *Diſtinctum eſt antecedens* : Intentum Apoſtoli erat explicare quis ſit ille vnus Deus; *diſtinguo*, quantum ad omnia quæ huic vni Deo conueniunt, *nego*, non quantum ad omnia, ſed quantum ad ea quæ appropriantur huic vni Deo, prout eſt perſona contradiſtincta, contra illum vnum Dominum de quo immediatè poſtea loquitur Apoſtolus. *concedo*. Ergo debuit etiam mentionem facere duarum perſonarum de quibus eſt maior controuerſia, & quæ æquè ſunt neceſſariæ ad eſſentiam Dei *nego conſequentiam*.

79. *Dixit Statorius* : Iam ſcio intentum Apoſtoli non fuiſſe explicare omnia quæ Deo conueniunt, & ad naturam eius ſpectant. Sed tamen ſic argumentor. Apoſtolus dediſſet occaſionem errandi, ſi propoſita Quæſtione quis ſit ille vnus Deus reticuiſſet alias duas perſonas æquè neceſſarias, & magis controuerſas. Ergo &c.

80. *Negatum eſt antecedens* : *Probauit*. Qui dat occaſionem non credendi dat occaſionē errandi : Sed Paulus non exprimens illas duas perſonas æquè neceſſarias & magis controuerſas dat occaſionem non credendi.

Ergo

Ergo Paulus non exprimens illas duas personas dedisset occasioné errandi si sunt æquè necessariæ, & magis controuersæ.

81. *Admissa maiori negata est minor.*

82. *Dixit Statorius*: Minorem esse principium & ideò non probandam.

83. *Respondit Rńdus Pater*; Propositionem à vero maximè alienam, esse principium nullo pacto concedam, atqui minor Dñationis vestræ est à vero alienissima, nullo ergo pacto potest esse principiũ. Probet minorem negatam.

84. *Exorta est hic altercatio non modica, & conabatur arguens alijs verbis explicare suam minorem, & tandem videns se illam probare non posse, inquisiuit quare hæc minor negaretur.*

85. *Respondit Rńdus Pater*: Iam dixi pridem, & Dñatio vestra idipsum fassa est intentum Apostoli non esse explicare omnia quæ pertinent ad istum vnum Deum. Cùm ergo ille solùm det occasionem non credendi qui reticet id quod facit ad explicandum intentum de quo loquitur; Intentum verò Apostoli esset loqui de vno Deo prout est persona contraposita illi vni Domino, de quo immediatè postea (vt patet ex contextu) loquitur, ad quod nihil pertinebãt duæ alię personæ: ideò alijs quoq;

 personis

personis (licèt aliâs magis controuersis, & æquè necessarijs; id est quæ æquè necessariò sunt Deus) præter missis, nullam omninò dedit non credendi occasionem.

86. *Instetit hæreticus.* Qui reticet id quod pertinet & est necessarium ad intentum de quo loquitur dat occasionem non credendi.

Sed Paulus ex hypothesi Rñdi Dñi quod istæ duæ personæ sint æquè necessariæ, & magis controuersæ, non explicasset totum id quod est necessarium ad intentum suum de quo loquitur. Ergo &c.

87. *Respondetur admissa maiori ad minorem.* Sed Paulus ex hypothesi Rñdi Domini quòd istæ duæ personæ, sunt æquè necessariæ &c. *distinguo*, ex hypothesi quòd sint æquè necessariæ ad explicandam aliâs naturam vnius Dei, & non prout de illo loquitur Apostolus *nego*, quod illas reticendo non explicasset totum id quod est necessarium ad intentum suum. *Aliud membrum.* Si sunt æquè necessariæ ad explicandam naturam vnius Dei secundùm quod de illo loquitur Apostolus, *concedo* quod illas reticendo non sufficienter explicuisset ea quæ sunt necessaria ad intentum suum. In præsenti autem dicimus istas duas personas non esse necessarias ad explicandam naturam Dei secundùm quod de illo loqui-

loquitur Apostolus, nec enim intendit totam naturã Dei explicare, sed solùm prout illi vni Domino de quo im̃ediatè postea loquitur est contrapositus.

In forma ergo probare debet D. Statorius hanc propositionem, Apostolus loquitur de Deo secundùm omnia quæ illi conueniunt, seu secundùm omnes personas in quibus est, non autem secundùm quod est contradistinctus ab illo vno Domino de quo immediatè postea loquitur.

88. *Instat.* Intentum Apostoli erat explicare vnum Deum oppositum multis Dijs, qui sunt in cœlo & in terra.

Sed iste Deus oppositus multis Dijs qui sunt in cœlo & in terra æquè sunt duæ personæ sicut est Pater.

Ergo iniurius fuisset Paulus reticẽdo duas personas æquè necessarias ad explicandum Deum vt est oppositus multis Dijs.

89. *Correxit R̃ndus Pater Argumentum dicens:* Apostolum non solùm contraponere vnum Deum multis Dijs, verùm etiam vnum Dominum multis dominis, dixerat enim: *Si quidem sunt Dij multi & domini multi*, & subdit: *Nobis tamen vnus est Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus IESVS Christus per quem omnia, & nos per ipsum.*

Hoc

90. Hoc stante dico, sicut nõ fuit iniurius Paulus quando contraposuit vnum Dominum multis dominis, reticendo Patrem & solum Filium nominando, ita non fuit iniurius dum loquitur de vno Deo contraposito multis Dijs exprimendo Patrem, & reticendo alias duas personas. Et Fundamentum istius est, quia sumit Apostolus pro eodem ly Deus & ly Dominus solùm contra distinguens eos per appropriationem quòd ly Deus magis approprietur Patri, & ly Dominus magis approprietur Filio, quia per Filium exercetur dominium istud super nos.

91. Quod patet primò quia ipse Christus explicuit quis sit iste vnus Deus dicens: Ioan: 10. ℣ 36. *Ego & Pater vnum sumus*. Nunquid Paulus contrarius est Christo? Vtiq; præco ipsius fuit fidelissimus. Formo ergo duas demonstrationes ex hoc loco. 1. id quod ex doctrina Christi non debet nec potest ab illo vno Deo excludi, nec ab Apostolo hoc loco debuit aut potuit excludi, alias Apostolus esset Christo contrarius. Sed Filius ab illo vno Deo non debet nec potest excludi ex doctrina Christi. Siquidem sunt vnum. Ergò Apostolus hoc loco nec debuit nec potuit excludere Filium.

2. Demonstratio. Pater & Filius vnum sunt. Sed

Deus

Deus ille vnus & Dominus ille vnus ſunt Pater &
Filius, ergo Deus ille vnus, & Dominus ille vnus,
vnum ſunt: Maior eſt Chriſti. loco citato: Minor
Apoſtoli loco quem tractamus. conſequentia le-
gitima. Cùm ergo doctrina Chriſti & Pauli ſit ea-
dem, apud Paulum idem erit, Deus ille vnus ac Do-
minus ille vnus.

92. Secundò principaliter idem patet, quia in
antecedentibus pro eodem illos duos terminos ſu-
mit dum dicit: Siquidem ſunt Dij multi, & domini
multi, ijdem autem qui ſunt Dij ſunt & Domini:
Ergo etiam in verbis immediatè ſequentibus pro
eodem ſumere debuit ly Deus & Dominus, ne in
tam paucis verbis æquiuocè terminis vteretur.

93. Tertiò, quia quando Dicit eſſe vnum Domi-
num Iesvm Chriſtum, non excludit ab iſto vno Do-
mino, illum vnum Deum quem dicit eſſe Patrem,
quod nemo in dubium vocare poteſt; Ergo pari ra-
tione non poterit excludi, ab illo vno Deo iſte vnus
Dominus qui dicitur Chriſtus, licèt Patri adſcriba-
tur, quod ſit ille vnus Deus. Pro eodem ergo ſumit
Apoſtolus ly Deus & ly Dominus.

94. Quartò, quia vbi Deutoronomij 6. ℣ 4. ha-
betur: *Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt.* Mar-
ci 12. ver. 30. Ipſe Chriſtus Dominus eundem lo-

cum his verbis allegat: *Audi Ismael, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Ergo ex mente Christi cuius discipulus & Apostolus erat Paulus, dum loquitur de Diuinis personis tantundem valet nominare Deum ac Dominum, & è contra Dominum ac Deum.

95. Stando ergo in nostro proposito, dico quod cùm Paulus voluit explicare, quis esset ille vn9 Deus oppositus multis Dijs; simul voluit explicare quis esset ille Dominus oppositus multis Dominis, & sufficienter vtrumq; explicuit appropriando Deitatem vni personæ, & Dominium alteri. Probet igitur in forma, nõ sumi in loco Pauli pro eodẽ Deum ac Dominum, aut certè quando dicitur vnus Dominus IESVS Christus, excludi Patrem ab isto vno domino, vel deniq; quando dicitur vnus Deus Pater, excludi Filium ab ista Deitate.

96. Multa dixit, *inquit arguens*: Rñdus Dominus quæ magis ad concionẽ quàm ad solutionem argumenti facere videntur.

97. *Respondit Rñdus Pater:* Non sum loquutus per modum Concionis, sed irrefragabilem responsionem argumento dedi, dum enim argumentum vrgeret in hoc quòd Paulus loquẽs de illo vno Deo solùm nominauerit Patrem, dixi: non excludi alias duas personas, ad quod dicendum eo fundamento quod adduxi innitor.

Dixit

98. *Dixit hæreticus*: Volo euertere hoc fundamentum.

99. *Respondit Rñdus Pater*: Fundamentum est, pro eodem sumi apud Paulum ly Deum ac ly Dñm.

100. *Dixit hæreticus*: Se nõ hoc velle euertere, sed argumenta illa allata.

101. *Respondit Rñdus Pater*: Ergo iam non fundamentũ vult Dñatio vestra euertere, sed rationes quibus idem fundamentum immobile reddidi, quę fuerunt quatuor quibus conclusi pro eodem sumi apud Paulum ly Deum ac ly Dominum, & per consequens dum dicit Apostolus: *Nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia*, non excludit Filium, sed potiùs includit.

102. Quod iterum hoc quinto argumento confirmo, sicut Apostolus dixit nobis vnum esse Deum Patrem ex quo omnia, ita dixit nobis esse vnũ Dominum IESVM Christũ per quem omnia, sed dum dixit nobis vnum esse Dominum IESVM Christum per quem omnia, non exclusit à ly *per quem omnia* Patrem. Siquidem ad Romanos XI. ver. 38. eidem Patri vtrumq; tribuit dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Ergò etiam quando dixit. *Nobis vnus est Deus ex quo omnia* nempe Pater ab isto Deo vno ex quo omnia non exclusit Filium.

103. *Institit hæreticus*: Ergo doctrina Rñdi Domini pugnat secum ipsa.

104. *Negata est consequentia. Probauit.*

Rñdus Dominus modo dixit, pro eodem sumi Deum ac Dominum, & paulò ante dixerat, contradistingui Deum à Domino.

Ergo doctrina Rñdi Domini pugnat secũ ipsa.

105. *Responsum est distinguendo antecedens, & ad primam partem*: Modo dixi sumi pro eodem Deum ac Dominũ, *distinguo*, quantum ad rem ipsam *concedo*, quantum ad appropriationem personarũ *nego*; *Ad aliam partem*. Prius dixi contradistingui Deũ à Domino, *distinguo*, quantum ad rem ipsam *nego*, quantum ad appropriationem *concedo*. Ergo doctrina tradita pugnat secum ipsa, *nego consequentiam*.

106. *Instat hæreticus*: Iterum in hac responsione contradicit sibi Rñdus Dominus. Ergo &c.

Negatum est antecedens. Probauit.

Qui modo dixit ab hoc vno Deo secundùm distinctionem suã non excludi Filium, & iterum dicit excludi, quoad appropriationem ille sibi contradicit.

Sed hoc dixit Rñdus Dominus. Ergo &c.

107. *Negata est maior. Probauit.*

Paulus loquitur, ex mente Rñdi Domini, secundùm

dùm appropriationem, at secundùm appropriationem non competit Filio.

Ergo in ista significatione, prout Rñdus Dominus verba Apostoli accepit, non competit vnus Deus Filio.

Ergo Rñdus Dominus dicit Filium excludi & non excludi à voce vnius Dei; & consequenter sibi ipsi contradicit.

108. *Responsum est concessâ maiori & minori, admissa quoq; prima consequentia.* Ergo Rñdus Dominus dixit Filium excludi & non excludi. *Hæc secunda consequentia distinguitur,* excluditur & non excluditur, secundùm eandem rationem *nego*, secundùm diuersas rationes *concedo*, id est non excluditur quantum ad rem, excluditur autem, id est, reticetur quantum ad appropriationem *concedo*. Ergo doctrina nostra sibi ipsi cõtradicit, *nego cõsequentiã.*

109. *Non acquieuit hîc arguens, cùm tamen manifestissimè appareret, & satis superq; ostensum esset in dictis Rñdi Patris nullam esse contradictionem. Hæretico autem pertinaciter contendente dicta Rñdi Patris sibi contradicere, vrgere ac cohortari adstantes cœperunt, præcipuè autem Magnifici Domini Judices vt progrederetur vlterius arguens.*

110. *Tunc Rñdus Pater dixit:* Statim procedet, post-

postquam clariùs viderit nõ esse contradictionẽ in nostris dictis vt falsò adhuc, supradictis non acquiescens, imponit mihi. Dñatio vestra nõ ignorat contradictionem non esse affirmationem & negationẽ eiusdem de eodem tantùm, nisi sit secundùm eandem rationem; quamuis ergo ego dicam excludi Filium id est reticeri, & non excludi in verbis Apostoli; non tamen mihi contradico, quia vtrumq; secundùm diuersas rationes affirmo, excludi enim seu reticeri in verbis Apostoli assero, per appropriationem sumendo hæc verba; non excludi autem ab ijsdem verbis doceo, sumendo verba illa secundùm rem. Quæ nam obsecro in meis verbis à Dñatione vestra contradictio inueniri potest?

111. *Hîc non mediocriter torquebatur Statorius; & doctrinam Rndi Patris carpere conabatur.*

112. *Respondit Rndus Pater*: Hæc sunt verba. Scio ego respondere etiam ad ineptias tales. Putat deesset mihi quid responderem? Proculdubio scirem ego verbis Dñationis vestræ similia reddere, sed ad me hoc non pertinet. Probet negatũ (nimirum) in verbis meis esse contradictionem.

113. *Hîc fuit altercatio, & dixit arguens se velle contra fundamentum procedere.*

114. *Respondit Rndus Pater*: Iam pridem voluit contra

contra fundamentũ procedere, & mox relicto fundamento proposuit rationes impugnare, & statim & fundamento, & rationibus eius relictis inuehere cœpit contra me, quasi in meis dictis mihi contradicam. Ostendi manifestè sine aliqua repugnantia mea dicta sibi cohærere, igitur aut probet in meis dictis adhuc inueniri repugnantiam, aut certè fateatur se victum, & non posse ostendere contradictionem quam mihi imposuit, & scribatur hoc iam tertiò, & procedat ad aliud.

115. *Hæreticus omninò volebat contra fundamentum procedere, & propositionem negatam ac filum argumenti relinquere.*

116. *Respondit Rñdus Pater*: Non debet saltare, sed probare negatũ. Certè promitto illi quod non saltabit mihi hinc, non permittam, satis iam habet: Peperci illi iam primò & secundò: deberemné adhuc parcere tertiò? nisi ingenuè fateatur se esse conuictum, & in verbis meis nullam esse contradictionem, certè non permittam. Probet, probet negatum, vel certè veritatem fateri non erubescat.

117. *Dixit Statorius*: Nolo saltare, licet tamen mihi subsistere in eo de quo est controuersia, volo videre, an sufficiat id quod est responsum circa locum Pauli?

Respon-

118. *Respondit Rndus Pater* : A loco Pauli iam pridem discessit Dñatio vestra, & ideò de illo nunc loqui est retrò saltare. Nam à loco Pauli venit ad mea dicta; nec potest nisi retrò saltando, à meis dictis ad locum Pauli redire. Si vult ergo subsistere non discedat à negato. Non dimittam illum hinc, nisi concedat se victum in hoc.

119. *Et cùm ex vtraq; parte esset concertatio magna, dixit Rñdus Pater Magnificu Dominis Iudicibus polonicè* : **Proszę czyńcie mi W. M. sprawiedliwość. Mościwy Pánie Márszałku / W. M. proszę niechay probuie** negatum, **roskaż mu W. M. bo W. M. to należy.**

120. *Tandem ne se fateretur victum, proposuit arguens probare contradictionem in dictis Rñdi Patris hoc syllogismo* :

Rñdus Dominus dixit, Paulum loqui in eo sensu qui est secundùm appropriationem, secundùm quam dixit non conuenire Filio ly vnus Deus.

Atqui dicit Rñdus Dominus Paulum non excludere Filium in eadem significatione.

Ergo Rñdus sibi ipsi contradicit.

121. *Postquam defendens sicut consueuerat repetiisset hoc argumentum antequam aliud responderet, dixit Rñdus Pater Præsidens* : Ita ne voluit me decipere?

pere? Quare mutasti mihi medium erudite vir? iam pridem mutasti mihi terminos istos (*hic riserunt omnes, & ipse quoq; arguens erubuit*) an putauit me hoc non animaduersurum, nunquid non aliud est appropriatio, & aliud significatio? cur ergo mutasti mihi terminos istos vnum pro alio supponendo? hac ne fide mecum agit? Verùm hæc parui facio. Ad Argumentum in forma *concedo maiorem. Ad minorem.* Atqui Rn̄dus Dominus dixit Paulum nō excludere Filium in eadem significatione *distinguo*, secundùm rem *concedo*, secundùm appropriationē *nego*. Ergo mihi ipsi contradico, *nego consequentiā.*

122. *Dixit Arguens:* Nullus finis erit distinctionum ostendam ex verbis sequentibus Pauli quæ Rn̄dus Dominus reliquit, non loqui Apostolum per appropriationem, nec esse in hoc textu appropriationem aliquam.

123. *Respondit Rn̄dus Pater:* Nihil valet, nihil facit, donec probauerit negatū, scilicet in his duobus dictis meis esse contradictionem, nimirum, non excludi secundùm rem; excludi autem, id est, reticeri quantum ad appropriationem, vel certè fateatur se conuictum in hoc.

124. Sed iam quod à dictis meis diuertens intrusit Paulum, & ipsemet dicat nobis, an excludat

Filium per appropriationem tantùm, an verò etiam secundùm rem? & procedã per talia principia, quæ nec ipse quidem D. Statorius diffiteri possit.

Quando Paulus dixit *Nobis vnus est Dominus* IESVS *Christus*, & consequenter illa voce *vnus* sumpta in rigore quo vult argumentũ, excludit Patrem; excludit ne illum secundùm rem, an secundùm appropriationem tantùm? certè non audebit dicere excludi secundùm rem, quasi Pater re vera non sit Dominus, esset enim nimia stultitia cùm innumera ferè loca sacræ Scripturæ extent in quibus manifestissimè habetur Deum Patrem esse Dominum, excludit ergo Patrem solùm per appropriationẽ. Igitur adhuc ex sententia Dñationis vestræ loquitur Paulus in illo textu per appropriationem, debetq; omninò in hoc cõtextu Apostoli velit nolit appropriatonem cognoscere.

125. *Voluit ad hoc Arguens respondere, sed Pater Rñdus noluit sibi responderi: tum quia Arguentis non est respondere, sed argumentari, tum maximè quia nondum Rñdus Pater quod dicere proposuerat expleuerat.*

126. *Prosequutus est ergo dicens:* Loquatur adhuc nobis Paulus, & ostendat, an secundùm appropriationẽ, an secundùm rem vox illa exclusiua solus in-

lus intelligi debeat? & profero illa ipsa verba quæ Dñatio vestra dicit me voluntariè reliquisse scilicet ly *ex quo omnia*, & sic procedo. Sicut Paulus, ly, *ex quo omnia* dixit de vno Deo Patre, ita dixit, *ex quo omnia* de vno Domino IESV Christo. Sed in hoc vno Domino per quem omnia, manifestum est ipsum loqui per appropriationem, non secundùm rem. Siquidem per Paulum ad Romanos xi. ver. 35. citatum etiam *Pater est per quem omnia*, ergo omninò in verbis Pauli appropriatio agnoscenda est quæ pari modo in ly *vnus Deus Pater ex quo omnia* negari non poterit.

127. *Dixit Statorius*: Ego dixi me velle probare in verbis Pauli non esse appropriationem.

128. *Noluerunt Magnifici Domini Judices, sed iterum atq; iterum arguenti, vt propositionem negatam probaret iniunxerunt.*

129. *Cùm autem id facere renueret, tempus quoq; disputationi destinatum elapsum esset, & deniq; iam euidenter appareret omnia dicta arguentis manifestissimè explicata & dissoluta à Rñdis Patribus fuisse, placuit vt iam disputationi finis imponeretur.*

130. *Cùm verò inciperent loco se mouere, Rñdus Pater clara voce dixit*: Magnifici Domini rogo liceat

ceat mihi terminata iam diſputatione quæpiã breuiſsimè pro conſolatione Catholicorũ ſubiungere.

Concluſio Rñdi Patris Præſidentis qua Diſputationi finem impoſuit.

131. Iam quidem argumenta quæ ad infringendã veritatem Catholicam proponebantur, audiſtis. Patuit etiã vobis clarè (vt opinor) eorum confutatio; liquet reiectas eſſe inſtantias, & omnibus obiectionibus abundè Deo auxiliante ſatisfactum, ita vt aduerſarij meritò acquieſcere deberent. Verùm ad vos Illuſtriſsimi & Nobiliſsimi Eccleſiæ Sanctę filij, & Catholicę Fidei acerrimi ꝓpugnatores cõuertor.

132. Aduerſarios Fidei noſtrę Dños iſtos Arianos vehementer diligere, & amore non quoqúe vulgari proſequi debemus, tanquã eos qui ſunt ꝓximi noſtri, & eodem ſanguine Chriſti, quo nos, redempti, & qui vnâ nobiſcum, ſi ab errore reſipuerint hæreditatis æternæ participes eſſe poterunt. Dico ergo iterum atq; iterum, homines iſtos quamuis aliâs hęreticos à nobis tamen diligendos eſſe; ſeruato tamen illæſo amore & charitate erga homines: dico etiam hæreſim ipſorum ſingulari à nobis odio eſſe

haben-

habendam, ac præ aliorum Sectariorũ monstris ac nefariorum dogmatum portentis ꝓsequendã. Nam aliæ hæreses vtcumq; Christiano nomine gaudere possunt; hæc autem nullo pacto. Siquidem nec baptismum verum habet, nec Chtistum verum Deum agnoscit.

Et vt clarius loquar, dico hæresim hanc summoperè abominandam esse, eò quod faciat Christũ mendacem, homines blasphemos in Christum, & Idololatras. Singnla breuissimè ostendo.

133. *Domini hæretici quamuis à Magnificis Dominis Judicibus ad audiendum multis inducerentur nullo modo sustinere voluerunt, sed ægrè ferentes quæ dicebantur discedere voluerunt. Cumq; nullo pacto ab illis impetrari posset, vt quiescerent dixit R̃ndus Pater:* Si nollunt audire recedant. Iam disputatio absoluta est, non pro istis sed pro Catholicis, & cum Catholicis sermo mihi est, licet mihi in templo Catholicis sermo mihi est, licet mihi in templo Catholicorum cum ijsdem Catholicis de Fide quam conseruare debent, & erroribus quos detestari tenentur verba facere, si sermo meus hæreticis displiceat, eant in pace.

134. *Cùm autem nullo modo permittere vellent R̃ndum Patrem plura loqui, Magnifici Domini Judices, & alij adstantes dixerunt: hæreticis vel patienter au-*

ter audiant, vel recedant; & ita in confusione discesserunt hæretici.

135. *Ne autem periculo alicui subessent, R̃ñdus Pater iuxta id quod à principio spoponderat, misit cum illis sex Rñdos Patres sui Ordinis, qui Dominos hæreticos sanos & incolumes ad propriam vsq; synagogam deduxerunt.*

136. *Post discessum ergò hæreticorum cùm Magnifici Domini Iudices, & cæteri Catholici in proprÿs sedibus quieuissent, prosequutus est Rñdus Pater suam conclusionem.*

137. Dico iterûm (inquit) homines istos esse amandos à nobis tanquam proximos nostros, sanguine Christi redemptos, &c. errorem tamen ipsorum maximè detestandum. *Primò*, quia facit Christum mendacem. *Secundò*, quia facit homines blasphemos in Christum. *Tertiò*, quia facit homines idololatras. Singula paucis perstringam.

138. Facit hæc hæresis Christũ mendacẽ. Christus enim Ioan: 16. ver: 18. dixit: *Omnia quæcumq; habet Pater mea sunt*. At iuxta hunc errorẽ tantum abest vt omnia quæcumq; habet Pater habeat Christus; vt potiùs ex omnib9 quæ habet Pater nihil sit Christi. Siquidem omnia quæcumq; habet Pater, sunt increata simpliciter infinita & omnino indepēdentia, ni-

tia, nihil autem tale habet Christus iuxta hanc hæresim. Siquidem per principia eius quidquid Christus habet est creatum, non simpliciter & in omni genere infinitũ, ac absolutè dependens, facit ergò hic error Christum mendacem.

139. Vlterius dixit Christus Ioan: 8. ver: 58. *Antequam Abraham fieret ego sum.* Atqui iuxta hunc errorem hoc est purum mendaciũ. Siquidem Christus iuxta hanc hæresim nõ fuit ante Sacratissimam Virginem MARIAM, & tunc primum cœpit esse Filius Dei quando in vtero eiusdem Sacratissimæ Virginis conceptus est. Ergo reuera hæc hæresis facit Christum mendacem: & ideo antiqua Arianorum hæresi tantò deterior, quantò non modò Diuinitatem, sed etiam æternitatem, quam illa concedebat, hæc Christo denegare non erubescit. Alia multa quæ ad idem probandũ adfere facile possem consultô, breuitati studens, omitto.

140. Venio ad secundum à me propositum, & ostendo hanc hæresim facere homines in Christum blasphemos. Blasphemiæ enim scelus teste D. Thoma 22æ. Qñe 13. articulo 10. in corpore committit quicumque vel negat aliquid de Deo quod ei conuenit, vel asserit de eo, quod ei non conuenit. Nomen enim blasphemiæ importare videtur quan-

dam

dam derogationem alicuius excellentis bonitatis & præcipuè Diuinæ. Tunc sic, Christus (vt docet Doctor Gentium ad Philippenses 2. ver. 6.) habet æqualitaté cum Deo, adeò vt *Non rapinam arbitratus sit esse se æqualem ipsi*: Sed iste error denegat Christo æqualitatem cum Deo, faciens seu potiùs fingens illum habere Diuinitatem creatam, & consequenter distare à Deo increato. Ergo ista hæresis est blasphema in Christum; & consequenter homines qui illam amplectuntur, blasphemos in Christũ facit. Iam verò quis inter angustias temporis huius breuissimi mihi benignitate vestra Auditores ornatissimi, concessi, vel leuiter recensendo perstringere possit; quæ & quanta sunt ea, quæ hæresis hæc Christo Deo nostro vel denegat confitenda, vel cõfitetur de illo neganda. Malo hæc omnia silentio inuoluta, sedulæ meditationi vestræ committere.

141. Accedo tandem ad illud demonstrandum quod vltimo loco succedit (scilicet) hanc hæresim facere homines idololatras, quod luce meridiana clarius conuincitur in hunc modũ: Error ponens multos Deos naturâ distinctos, facit homines idololatras, siue quia hoc ipso quòd aliquis dicitur Deus, tacitè proponitur adorandus, siue certè expressè talis error dicat omnes hos Deos quos ponit, esse

nit, esse adorandos. Sed error iste Arianorum ponit multos Deos in natura distinctos, & asserit Diuino cultu latriæ esse adorandos. Euidentissimum ergo est hunc errorem facere homines idololatras.

142. Certè propositionem positam nullus diffiteri potest, siquidem semper duos Deos ponere & colere idololatria iudicata est. Cæterum propositio à nobis subsumpta est ipsissima falsa ipsorũ doctrina, ponunt enim Patrem & Filium esse duos Deos natura distinctos, vnum creatum, alterum increatũ, & vtrumq; adoratione latriæ ex præcepto eiusdem Patris adorandum. Certè præceptum de colendo vno Deo iam pridem tanquam multis in locis à scriptura sacra traditum omnium Catholicorum animis dominatur & hæret.

143. Dicent fortè in nouo Testamento dispensatum esse, ab illo qui aliũ Deum creauit. Sed inane hoc commentum iam pridem ipse Deus Optimus Maximus per os Isaiæ Prophetæ sui cap: 48. ℣ 10. euertit dicens: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Sed quæso si responsum illud non esset à vero alienissimum, quo pacto potuisset Paulus Apostolus 1. ad Cor: 8. ver. 4. dicere, & constanter asserere. *Scimus quod nullus est Deus nisi vnus:* Quod frequentissimè Doctor Gentium qui

factus est vas electionis ad portandū Nomen Christi, in suis Epistolis dictitare consueuit. Sed quid Pauli testimonia recenseo, cùm ipsius Christi primæ veritatis irrefragabili testimonio rem hanc confirmare valeam? Ipse Christus (Ioan: 10. ver: 30.) qui dixit: *Ego & Pater vnum sumus.* Marci 12. ver: 29. clarissimè contestatus est dicens: *Deus vnus est.* Qua ergo fronte sine idololatriæ nota contra ipsum Christum hæresis hæc dicere audet plures esse Deos, aut plures Deos adorandos? Caueamus ergo Auditores Ornatissimi à tam pernicioso errore, & in veritate Catholica immobiles persistamus, vt reportemus finem fidei nostræ salutem æternam animarum nostrarum, quam vobis omnibus ex animo precamur,

AMEN.

FINIS DISPVTATIONIS.

Laus Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Ego

EGo Christophorus Páwłowski à Lippá Vicepalatinus Lublineñ. Notarius Castreñ Bieceñ. à Magnificis Dominis præinsertæ Disputationis Iudicibus infrascriptis rogatu Rñdorum Patrum Carmelitarum Discalceatorum Conuentus Lublineñ ad id nominatus & designatus. Attestor hanc Disputationem ab eisdem Rñdis Patribus cum Arianis ad commune Catholicorum solatium, veritatis orthodoxæ Fidei elucidationem, ac ipsorũ quoq; Sectariorum emolumentum, & vtilitatem quam ex illa capere potuissent susceptam, à me fidelissimè conscriptam esse, ac in nullo penitus à veritate rei gestæ discrepare, quippe cum non solum singula auidissimè priusquam à me scribendo exciperentur audierim, verùm etiam excepta iam palam legerim non modo vt ea quæ probanda essent, melius animis imprimerentur, verum etiam, vt an cum dictis scripta cohærerent clarius mox innotesceret. Quare ingenuè fateor his scriptis res nõ secus quam peractæ sint conscriptas exaratasq; esse, ac ne vllus prorsus dubitandi locus supersit nomen meũ manu propria subscripsi, ac sigillum apponi feci, & Magnifici Domini Iudices, alijq; multi Nobilissimi viri subscripserunt sigillis suis hoc ipsum signantes.

res. Datum Lublini die 6. Augusti. Anno Domini 1620.

Christophorus Piwlowski à Lippi, Vicepalatinus Lublinen. Notarius Castrensis Biecen. Disputationis Notarius. manu propria. Locus sigilli.

Disputationis Iudices.

Andreas de Rythwiany Zborowski Castellanus Oświecimensis, Marschalcus Iudiciorum Generalium Tribunalis Regni. manu propria. Locus sigilli.

Alexander Dux de Ostrog in Zasław, Palatinus Braclauiensis, Capitaneus Zitomiriensis. manu propria. Locus sigilli.

Maximilianus de Przeramb, Castellanus Siradiensis, Petricouien. Moscicen. Visnen. Capitaneus. Iudex Tribunalitius ex districtu Siradiensi. manu propria. Locus sigilli.

Stanislaus Lubienski Abbas Tinecensis, Sacræ Regiæ Maiestatis Secretarius, deputatus Iudex Capituli Cracouiensis. manu propria. Locus sigilli.

Nicolaus Starzenski Præpositus infulatus Lascensis, Gnesnensis, Plocensis, Canonicus, Iudex deputatus ex Capitulo Gnesnensi. m. p. Locus sigilli.

Dispu-

Disputationis Testes.

Hermolaus Ligeza Castellanus Zawichostensis Iudex deputatus ex Palatinatu Sendomiriensis. manu propria. Locus sigilli.

Achacius Grochowski Cantor Gnesnensis, Præpositus Lencicien. Canonicus Cracouien. S. R. Maiestatis Secretarius, ex Capitulo Cracouiensi Iudex deputatus. m. p. Locus sigilli.

Christophorus Charbicki Præpositus Wladislauien. Archidiaconus Dobrinensis in Ecclesia Cathedrali Plocensi, ex Capitulo Wladislauien. Iudex deputatus. manu propria. Locus sigilli.

Stanislaus Radecki, Posnanien. Plocen. Pultouien Canonicus, Iudex deputatus ex Capitulo Plocen. manu propria. Locus sigilli.

Janusius Dux Wiśniowiecki, Iudex deputatus Palatinatus Volhyniæ. m. p. Locus sigilli.

Matthias Jaskolski, Gladifer Calissien. Iudex deputatus Palatinatus Posnanien. m. p. Locus sigilli.

Hieronymus Lagiewnicki, Iudex deputatus Palatinatus Cracouien. m. p. Locus sigilli.

Christophorus Wąsowic, Iudex deputatus Palatinatus Sendomiriensis. m. p. Locus sigilli.

Nicolaus Potocki de Potok, Palatinides Braclauiensis, Iudex Tribunalis ex districtu Halicien. ex Palatinatu Russiæ. *m. p.* Locus sigilli.

Lucas Chelmicki, Iudex deputatus Terræ Dobrinensis. manu propria. Locus sigilli.

Petrus Stepkowski, Iudex deputatus ex Palatinatu Volhyniæ. *m. p.* Locus sigilli.

Jacobus Lychowski, Venator Halicien. deputatus Iudex Palatinat: Belzen. *m. p.* Locus sigilli.

Albertus Mleczko, Succamerarius Drobiciensis, Iudex deputatus Palatinatus Podlachiæ. manu propria. locus sigilli.

Adamus Mienski, Iudex Bielscensis, Iudex deputatus Palatinatus Podlachiæ. *m. p.* Locus sigilli.

Alexander Kropiwnicki, Notarius Terrestris & Iudex Palatinatus Braclauien. *m. p.* Locus sigilli.

Joannes Wiesiolowski, Dapifer Podlachiæ ex Palatinatu Pomeraniæ Iudex deputatus. manu propria. Locus sigilli.

Alexander Bokowski, Iudex deputatus ex Palatinatu Pomeraniæ. manu propria. Locus sigilli.

Testimonium de Fidelitate Impressionis, datum ex Commissione Magnifici Domini Rectoris Academiæ Cracouiensis.

EGO Adamus Opatouius S. T. Professor, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ, Disputationem RR. PP. Carmelitarũ Discalceatorum, cum Ioanne Statorio Lublini habita, ac Typis MATTHIAE ANDREOVIENSIS, Cracouiæ Anno præsenti mandatam: ex commißione M. Rectoris Vniuersitatis Studii Cracouiensis, quantâ maximâ diligentiâ potui, contuli cum exemplari mihi oblato, multis sigillis Reuerendissimorum & Illustrißimorum DD. Iudicum ac testium communito, ac conscripto, á M. D. Christophoro à Lippa Pawłowski. Vicepalatino Lublinensi, Notario Castrensi Biecensi, ad hoc munus designato, cui hoc testimonium publicum perhibeo, illam in omnibus verbis, punctis, ac clausulis cum præfato exemplari, bona fide concordare. Ex Maiori Collegio Cracouiæ. 20. Iulij Anno Salutis 1621.

Locus Sigilli

Ego idem qui supra M. P.

Testimonium de Fidelitate Impressionis, datum à M. D. Christophoro à Lippa Pawłowski, Vicepalatino Lublinensi, Notario Castrensi Biecensi, qui etiam ipse manu propria Disputationem hanc vt specialiter ad id deputatus conscripsit.

EGO Christophorus à Lippa Pawłowski, Vicepalatinus Lublinensis, Necnon Notarius Castrensis Biecensis, inspexi Disputationis à RR. PP. Carmelitis Discalceatis, cum Arianis habitæ seriem prælo comissam, quam quidem comperi nequaquam à primo exemplari conscripto à me, ceu ad id muneris specialiter deputato, dissidere, discrepare, & ne lato quidem (vt aiunt) vngue aberrare, verùm omnia consona illique consentanea quam maximè esse, vt nullus ambigendi locus supersit. In cuius rei fidem hisce sigillo me subimpresso manu propria subscripsi. 10. Iunii. Anno Domini. 1621.

Locus Sigilli.

Chrystophorus Pawłowski à Lippa Vicepalatinus Lublineñ. Notarius Castreñ Bieceñ. manu propria.